



HERMANNI CONRINGII

PROPOLITICA

Sive Brevis Introductio in Civilem Philosophiam.

Adjecta sunt Ejusdem ut & J. Hopperi nonnulla de Varia & Vera Iurisprudentia.





HELMESTADII,
Typis & sumptibus HENNINGI MULLERI
Acad. Iuliæ Typographi.

CIↃ IↃ C LXIII.

Cum privilegio perpetuo Vicariorum S.R.Imperii.



SUMMA PRIVILEGIORUM.

PRoximo interregno cautum eſt privilegiis Sereniſsimorum Potentiſsimorumque S.R.I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringii cura ſcriptos vel editos, citra eius heredumque conſenſum, intra limites Vicariatuum inprimat, aut alibi impreſſos divendat: pœna delinquentibus dicta, amiſsionis omnium ejuſmodi librorum, & ſolutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipſis Privilegiorum tabulis.





SERENISSIMO AC EMINENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO

AUGUSTO

ADMINISTRATORI Primatus & Archiepiscopatus Magdeburgensis, DUCI Saxoniæ Juliaci Cliviæ & Montium, LANDGRAVIO Thuringiæ, MARCHIONI Misniæ ut & Superioris Inferiorisque Lusatiæ, COMITI Marcæ Ravensburgi & Barbij, DOMINO Ravensteinij

FELICIA OMNIA PRECATUR

HERMANN. CONRINGIUS.



Onsecrare ausus Eminentissimo nomini Tuo, SERENISSIME PRINCEPS, exiguũ hunc libellũ, non equidem ignoro, posse me facile varias

in aliorum criminationes incidere: qui vel argumentum vel parvitatem libri non convenire satis magnitudini Tuæ existimabunt. Illis tamen ego rationibus, fateor, â sententia dimoveri me passus haud sum: idque potissimum, quod magni Principis auctoritate, qualis Tuæ est SERENISSIMÆ CELSITUDINIS, opus sit ad id, ut imposterum, saltim nonnulli, Civilem Philosophiam veramque adeo regendæ reipublicæ ferendarumque legum Prudentiam, cujus naturam, & docendi pariter discendique rationem, compendio tradere instituti mei fuit, solito rectius & sectentur & excolant. Enimvero summe in publicum utile fuerit, melior illa nobilissimæ Philosophiæ cultura: ast hominum animos ad illa & ignota fere & inusitata studia adducere, non tam rationibus licet quam emi-

nente

nente quâdam approbatione. Non dubito autem illam non minus à SERENISSIMA TUA CELSITUDINE mihi polliceri, quàm illam fortunato ſidere jam conſequutus ſum à Germaniæ noſtræ ſapientiſſimo Neſtore, Principe & Domino meo Optimo, cujus ut AUGUSTUM nomen gerit CELSITUDO Tua ita virtutes eximias feliciſſime æmulatur. Et vero illa, quam ſuperiore anno ſumma cum delectatione obſervavi, utriuſque Principis animorum in diſpari licet ætate conjunctio, ſimul etiam ſtimulum addidit, ejuſdem argumenti librum utrique offerre audendi. Neque enim nunc dicam, auctam haud parum iſtam fiduciam, ſingulari iſthac benevolentia, qua in conventu illo longe illuſtriſſimo SERENISSIMA CELSITUDO Tua me quamis aliàs ignotum

tum eſt proſequuta. Cæterum ſi non fallace conjectura futurum arbitror, ut tua gratia digneris SERENIS. PRINCEPS hoc quicquid eſt libelli, equidem me felicem prædicavero. Deum vero obſecro ut novus hic annus SERENITATI TUÆ novum addat priſtinæ felicitatis incrementum. Helmeſtadij in Acad. Julia Nonis Januarij CIↃ IↃC LXIII.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
S. P.



Didimus nuper librum, titulo quidē De civili prudentia, quo tamen duntaxat Philosophiæ illius verā naturā in mediū proponere, erroribus qui circa eam plurimi etiā ab iis qui docti audiunt committuntur, eliminatis, fuit propositum. Ejusdē argumenti sunt quæ nunc damus PROPOLITICA. Quinimò hæc ipsa libri prioris prima quasi sunt rudimenta. Eoq; si conscriptionis tempus attendas, ætate hæc etiā antecedunt; jam scilicet anno post quadragesimum seculi hujus nono in gratiam selectorum aliquôt juvenum confecta; si conscriptionem ipsam, tamen merito hæc dixeris, cui altero illo libro additum sit subtegmen, & quidem ita, ut in utroq; sæpissime eadem etiam verba liceat reperire, Propolitica tamen hæc alterius voluminis sint quasi compendium. Enimvero ea est ratio Politicæ Philosophiæ, ut in ore quidem tantum non omnium sit, non duntaxat desiderium ejus sed etiam professio; si dicere tamen fas quod res

est,

eſt, pauciſſimis hactenus contigit vel rudem ejus imaginem animo comprehendere. Quis ſcilicet paulo emunctior, non exiſtimat ſeſe aptum reipublicæ regendæ? Et vero regunt illam adeoque agunt Politicos pragmaticos complurimi, qui nihil tale didicerunt ullo magiſtro præeunte: nemo non cenſuram temere inſtituit eorum quæ geruntur in civitate: eoq́ nemo non facile arrogat ſibi civilem ſapientiam. Attamen quod in proverbio eſt, thyrſigeri multi pauci Bacchi, *quodq́ de Medicis pronunciavit Hippocrates,* οἵ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοί ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί, *aut de Philoſophis Plato:* multi ſomniant pauci philoſophantur: *id de Politicis profecto jure maximo poteſt dici, reapſe illos tanto in profitentium numero per eſſe paucos. Tam divite enim ingenio nati ſunt quidem nonnulli, ut quamvis ſolis naturæ fuerint dotibus inſtructi, ſic ſatis feliciter tamen reipublicæ clavum regant: imo dubiam faciant palmam multis qui regendæ civitatis prudentiam moleſtâ operâ didicerunt; eòque dubites, utrum natura an ars in civilibus expedi-*

endis

endis negotiis prævaleant. Verum oppido rarus horum numerus est: ac proinde quæ reliqua est indoctorum turba frustra paucorum istorum exemplo suam velat ruditatem. Alij si usu quid agere didicerint, quod ex re est alicujus civitatis, sese aptissimos credunt quibus summa rerum concredatur. Alii Politicos sese venditant, sive quod urbaniores nonnihil sint, & moribus ad vulgi auram captandam quasi tornatis; sive quod fas nefas juxta æstimantes præsentis commodi specie omnia metiantur; sive quod legum civilium notitiam aliquam sibi comparavere. Nonnulli & elementa quædam Politica ubi mandaverint memoriæ, nihil ad sapientiam civilem parandam ultra requiri arbitrantur. Quinimo nullos non horum videas haberi quoque Civilis peritos Prudentiæ, eoque summum conscendere in republica fastigium. Id quod tamen cum maximo fieri detrimento publico, usu ipso profecto experimur. Quantumvis enim recepti pene moris sit, illorum hominum imprudentiam & insanos errores, vel non advertere præ imperitia & multitudine eorum qui in eodem inscitia

tiæ luto hærent, vel fati rempublicam urgentis necessitatibus defendere (ut Medicorum scilicet errores terra, ita Politicorum fato tegente) certum tamen est, quod infinita mala rebuspublicis à sola regnandi imperitia creari passim terrarum soleant. Qui inscitiæ fructus conspicui maxime fiunt, si quando respublica in discrimen aliquod ingens incidit, & undique imminet periculum: neq; enim bis peccare tum licet, & nisi in promptu sit rectum consilium, sæpe adsunt extrema. Perinde nimirum atq; in tranquillo facile est clavum navis regere, & commissus error facile corrigitur, certe vacat periculo: ita rebus secundis etiam inepti & stolidi non statim rempublicam perdunt: in adversis autem nihil illorum regimine est perniciosius. Quandoquidem autem veræ exquisitæq; Civilis prudentiæ ea est utilitas, imo illa necessitas, & tamen in ipso illam profitentiam vulgo passim summa ejus penuria; bonum factum utiq; præstatur, etiamsi ad parandam illam Prudentiam proba duntaxat fiat manuductio. Ac mihi quidem hoc agere utroq; libro propositum fuit: dum persuasum

scilicet

scilicet mihi est, ex re esse cũ vitæ humanæ omnis, tum civilis societatis, nihil negligere, quod ad Prudentiam illam, cum integritati suæ restituendam, tum inculcandam promovendamque possit facere. Hinc sane duxi operæ me facturum pretium, si etiam idem bis doceam, quin imo si sæpius repetam unum idemq́; modo tamen docendi aliquod discrimen observetur, quemadmodum non una etiam est discentium conditio. Et vero aliis subtilius omne & prolixius plane est inutile; quoniam aut captum superat aut negotiis diversis excluditur: quibus proinde nihil, nisi quod est rudius & contractum in pauca, cum fructu proposueris. Qui adspirant tamen ad plenam exactamque sapientiam, iis compendia quæq; sunt pene studiorum dispendia, & nihil æque prodest atq; quod omnibus est absolutum numeris. Id quod maximi docendi artifices, eosq; inter princeps Aristoteles, observantes, de omni pene argumento, duo librorum genera confecere, duplicemq; docendi methodum, pro discipulorum discrimine, secuti sunt. Quorum ego institutum hic fere expressi, compendium nunc exhibens ejus quod alias

plene abs me jam est traditum. Vt scilicet liber de Civili Prudentia & hæc Propolitica inserviant quidem omnibus Scientiam illam æmulantibus: illud tamen opus accuratioris doctrinæ sectatoribus magis sit commodum, hoc reliquis.

Subjunxi porro Propoliticis, partem ejus meæ Epistolæ quæ non ita pridem novæ editioni Hopperiani Voluminis præmissa: quave vera & genuina Prudentiæ Juris forma & natura, remotâ errorum crassa nube, claram in lucem protracta est. Feci autem idipsum, duplici potissimum caussa inductus. Prior *est, quod ipsismet illis in Propoliticis capite secundo de eodem hoc argumento jam disseruissem; cum vero nonnihil à vulgo receptis passim decantatisq; sententiis illa abhorrentia videri queant, magis magisq; veritatem illustrare & patefacere, visum est ex bono futurum meæ illius doctrinæ. Liberanda scilicet mihi fuit vera Civilis Prudentia, ab illa perquam noxia vulgi opinione; qua persuasum est, Juris inter & Civitatis gubernandæ peritiam nullum discrimen intercedere.*

terce-

tercedere, eoq; ad reipublicæ curationem sufficere Peritiam Juris. Id autem fieri non potuit, nisi simul ostensis variis Peritiæ ejus differentiis, quantumvis hactenus illæ non ita observatæ aut proditæ fuissent. Ratio Altera *est, quandoquidem gravissime peccatur vulgò, dum non attenduntur illa Peritiæ Juris discrimina. Eo sane fit, ut non tantum Scholæ, in docenda discendaque doctrina illa longe utilissima pariter & præclarissima, verum & Respublicæ, maximo afficiantur damno; præsertim quia Legislatoria prudentia ferè passim ex Schola pariter & Republica hinc exulat ignoraturq;, in ejus gloriam longe aliis Peritiæ Juris Speciebus, utilibus quidem illis longe tamen infra Nomotheticam merito subsistentibus, per summam inscitiam vulgo cooptatis. Intolerandus sanè est multorum in fœda illa inscitia fastus; dum non tantum soli Legislatoriæ Prudentiæ convenientibus præconiis suas ineptias jactitare, sed etiam omni alij meliori doctrinæ contumeliose insultare audent. Quales chartæ non adeo pridem mihi oblatæ sunt: quarum auctor cum nihil sapiat ultra maxime plebeiam*

Juris notitiam, non erubuit tamen affirmare: suam illam peritiam solam Regiam esse & Regum, cæteras autem tantum instrumentales & administras; illam certam esse finitam & perfectam, has vero vagas fluxas incertas & imperfectas. *Quæ omnia quàm insana sint, nisi fallor, liquidum est à me factum, cum in ipsis Propoliticis tum in subjuncta illis Epistolâ.*

Quandoquidem porrò Latarum jam legum veram exactamq; scientiam in Politica earum interpretatione versari demonstravi, illa vero quemadmodum sit instituenda, nonnihil clarius docui in ea parte Dissertationis meæ ad L. 1. Codic. Theodosiani de studiis Liberalibus V. R. & C. qua hujus ipsius interpretationis specimen exhibui: propter maximam argumenti affinitatem, illud quod huc pertinet itidem subjungere volui.

Non alia de caussa addidi postremò ejusdem notæ nonnulla Hopperiani operis longè præclarissima Excerpta. Aliquot scilicet annis demum, post illa Propolitica mea conscripta, imo & post

& post editam in lucem tertium caput libri de Civili Prudentia, oblatum fuit Hopperianum hactenus mihi ignotum volumen illud, de Verâ Jurisprudentia inscriptum; estq; nonnihil aliter quam ab Hoppero factum, à me de variis Jurisperitiæ differentiis dissertatum: quandoquidem tamen, quod summam rei attinet, planè consentimus, quædam ab Hoppero etiam luculentius sunt tradita, tanti viri doctrina meam roborare, ex usu fore censui. Non desunt scilicet, qui rationibus adductis nihil moveantur, sive quod vim earum assequi nequeant, sive quod præfracte nolint dediscere quæ male didicerunt; hi proinde auctoritate quadam magistrorum nonnihil sunt mitigandi atque ad veritatem admittendam componendi. Debet autem merito magna esse Hopperi existimatio: utpote qui & in Academia Lovaniensi summo applausu docuerit, & in Judiciis pariter & in Senatu maximarum rerum sederit arbiter, amplissimis perfunctus in Belgio pariter & Hispania honoribus. Spero sane, illa Hopperi auctoritate saltim nonnullos,

durio-

duriores cæteroquin & indociles, in meliorem sententiam flexum iri.

Deum obsecro, ut quemadmodum unius boni publici caussa hæc omnia ita edidi, sic vergant etiam in reipublicæ commoda. Abunde equidem fecisse me pretium operæ arbitrabor, Benevole Lector, si meus hic labor tibi approbabitur, mihiq; tu favere perrexeris.

HER-

HERMANNI CONRINGII PROPOLITICORVM LIBER VNVS.

CAPVT. I.

Politicam prudentiam non consistere, in morum elegantia aut peritia omnibus blandiendi; ut nec in quavis reipublicæ curatione: non item in religionis & honesti neglecto cultu.

Civilis prudentia, quæ & qualis sit, unde quibusve modis & possit & debeat comparari, quo ordine doceri ac disci oporteat, quodnam denique in docenda illa pretium operæ fecerint omnis ævi scriptores, interque eos qui maxime præstent cæteris, qui secundum vel tertium locum commeruerint, aliquanto accuratius, non nisi compendio tamen, tradituris, ante omnia vocis ipsius recta significatio & verus usus eruendus.

Etenim idem quid illâ notari atque voce Politices, certum quidem est. Cæterum & hoc nomen ambigui est usus. Cum enim Politicus sit is, qui Politicâ est imbutus, si vulgus audias, Politicus est, quisquis morum aliqua urbanitate & cultu valet præ reliquis, in quo plus nonnihil est salis quam in aliquo de vulgo, quique adeo in communi vita elegantius sese gerit, qua sermone, qua incessu, qua gestu. Ut proinde Politica fuerit peritia cultioris illius vitæ, morumque omnium elegantiæ.

 Ve-

Verumenimvero est quidem & illa peritia Prudentiæ ac virtutis cujusdam digna nomine, nec qui eam non tenet vere & simpliciter prudens est. Ad civilem quoq; congressum & societatem non utilis tantùm sed & necessaria est elegantia istæc: utpote cum morosum difficilem & agrestem hominem ad res gerendas minus aptum esse, omnibus sit compertum. Adeoque non potest neque debet in Politico desiderari hoc quicquid est tum virtutis tum prudentiæ. Multum tamen abest, ut illa mereatur Politicæ prudentiæ laudem & cognomentum; aut uti is qui hac valet eo ipso verè sit Politicus. In confesso nimirum est: Politici officium maxime occupari in regenda quavis republ., eaq; vel instituenda vel corrigenda vel conservanda: quod profectò peritia istac elegantioris vitæ minime effeceris. Imo ut sis agrestior & incultior, fieri tamen potest, ut licet non ex omni magna tamen ex parte prosis plurimum. Quemadmodum C. Marius Rom. reip. plus commodi profectò tulit quàm ex nobilitate elegantes plurimi; etsi quod exprobrabant ipsi vulgo, *sordidum illum esse & incultis moribus, & parum scite convivium exornare*, negare haud potuerit, in excusationem adferens, *munditiem mulieribus viris laborem convenire*; quod refert Sallustius in belli Iugurthini historia.

Et vero omnis illa civilitas morumque cultura tantùm eò spectat, quo nemini sis eorum quibuscum verseris molestus, sed potius jucundus, ceu rectè observatum Aristoteli. Id ipsum autem à reip. vitæque humanæ negotiis potissimis multùm est diversum: eòque quicquid illius est ὁμιλητικῦ, longè infra naturam reliquarum est virtutum, ac proinde haud male vulgò semivirtutis titulo solet nuncupari. Politi itaque sunt quidem

dem elegantes illi, & civiles, & urbani, utque Græci loquuntur ἀστεῖοι; verè Politici autem nequaquam sunt nec audiri debent.

Hinc verò etiam manifestum est, non mereri Politici cognomentum eos, qui blandiri tantùm norunt omnibus aut assentari, quod tamen itidem vulgo solet videri. Multo certe minus laudem illam hi promerentur; utpote cum ne boni quidem viri sit istud agere; quamvis (ut ille in Comœdia inquit) *hic quæstus in vita multo sit uberrimus.* Etenim *Si vel honestum ipsi fuerit vel damnosum etiam obsequi, id minime faciet vir bonus; sed gravate se geret, potiusque esse molestus volet. Si item obsequium facienti, aut dedecus atque id non parvum, aut damnum, adversario autem dolorem parvum allatura sit, non admittet sed agrè feret ac repudiabit:* ceu itidem rectè docet Aristoteles l. 4. Ethic. 12.

Sunt qui Politicos appellent omnes promiscuè, quotquot in reip. sunt negotiis occupati: quasi Politica sit quævis in civilibus negotiis versandi dexteritas. Constat autem multos horum per esse imprudentes & rudes, & tamen verè Politicum prudentiâ quadam exactâ instructum esse, in confesso est. Ad hoc varia admodum cum sint reip. munia, fit sæpenumero, ut qui una in re præstat, in aliis parum possit: creditur tamen, Politicum hominem reipubl. regendæ omni esse ex parte idoneum. Est igitur & isthæc significatio multùm â vero Politici nominis usu aliena.

Jam porrò apud quamplures inolevit, ut Politici demum audiant, qui omnia utilitate & commodo metientes, ita gerunt sese in vita & republ. ut modò sibi aut civitati sit bene, Dei & honesti nullam censeant habendam rationem. Nata autem hæc infamis significatio primùm

est in Gallia superiore seculo, circa annum 1568, per Henoticam factionem, illo tempore sub religionis specie in omnes publicæ quietis amantes summè contumeliosam: quod notatum est Iacobo Augusto Thuano *lib. 44. historiarum*.

Non multum aliâ verò in significatione hodie Politici vocantur, omnes versuti & callidi, inque omnem partem mobiles, & tanquam polypi mutantes colorem, dummodo sibi caveant. Qualem πολύτροπον Homerus Vlyssem suum descripsit, & Aristophanes *in Ranis* traduxit (per calumniam tamen) Theramenem illum, qui cum in numero esset quadringentorum tyrannorum verso animo applicavit se mox Populi partibus.

Cæterum etsi jam tum olim apud Græcos nonnulli prudentiæ titulum indiderint impiæ ejusmodi versutiæ; non dubitante Thrasymacho *l. 2. de Rep. apud Platonem* virtutem & honestatem generosam stultitiam nuncupare. Neque nostro seculo commendandæ illi defuerit magister, cymbalum vulgo Politicorum existimatus, Machiavellus. Plurimum tamen abest, ut vera aliqua prudentia citra honestatis comitatum inveniatur, aut ut civitas prudenter possit administrari neglectâ justitia & in Deum religione. Certe quotquot extant civilis prudentiæ meliores magistri, plane diversum statuunt, idque longo rerum usu edocti. Imo ipsemet Machiavellus coactus est fateri, saltem simulata pietate & virtute opus esse quàm maximè. Quo ipso propriam ille sententiam damnat: quippe cum simulari istæc non possint, ita ut non facile pelluceat fucus ap. cautiores, qui si itidem sunt impii, ex Machiavelli utique disciplinâ nequeunt coërceri, & regi, cum deberent maximè. Religio sane Plutar-

tarcho ipſi eſt *συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας ϗ νομοθεσίας ἔρεισμα, coagulum omnis ſocietatis & fundamentum legislationis. Pietate ſublata* (inquit Cic. l. 1. de nat. Deorum) *fides etiam & ſocietas humani generis & unà excellentiſſima virtus juſtitia tollitur.* Id quod cum alibi demonſtratum à nobis prolixius ſit, non eſt cur hic verbum addamus.

Per ſummam vero injuriam Politicorum nomen illis impietatis patronis tribuitur *κατ᾽ ἐξοχὴν* quandam: tanquam ejus notæ ſint veri Politici, & Politica impiæ cujuſdam & injuſtæ verſutiæ ſit magiſtra. Certè omni retro ævo is vocum illarum uſus nunquam fuit auditus, & planè diverſa docuerunt omnes ſapientes Politici. Sanè cum aliæ reſp. ſint rectæ ac juſtæ, aliæ non item: hæ quidem per ſolas bonas artes ſervari aut inſtitui non poſſunt: illas quoque vix eſt ut integras tuearis niſi interdum dolo aliquo commiſſo: (eſt autem & *καλὴ ϗ ἐπαινετὴ πανουργία τις honeſta & laudabilis calliditas quædam*, dicente S. Baſilio) fruſtra profectò fueris, niſi omnium fraudum humanarum ſis gnarus. Eoque omnia iſtæc ſaltem tenere, eſt quidem Politici. At profectò rectæ reſpublicæ, imo & depravatæ magna ex parte, bonis artibus conſervantur. Et malarum rerump. artes, fraudes item doloſque quibus bonæ quoq; civitates corrumpuntur & intereunt, etſi intelligat, non probat tamen Politicus; tantùm abeſt ut palmarium prudentiæ in illis collocet, aut eas quàm maximè ſectetur. Etſi porrò reſpublicæ illæ minus rectæ exigant Politicum rectorem non omnino bonum: non propterea tamen ſimpliciter omnis reipublicæ cujuslibet curator, neceſſum eſt ut non ſit vir bonus. Vitium certe unius per injuriam ſimpliciter omnibus attribuitur.

Inique igitur illud ab omni ævo laudatum Poli-

tici cognomentum in sensum improbum deflexit. Plane quemadmodum in Gallia, mere ex odio, improba significatione detorta est vox illa, in viros optimos & religionis honestique non minus quam pacis publicæ studiosos.

CAPUT II.

De Iuris & Civilis Prudentiæ affinitate & discrimine.

Antiquior quidem priore, tamen non nisi proximis seculis ortus est mos alius, solis qui appellantur ICtis Politices scientiam attribuendi: quasi illi soli verè sint Politici, & Iurisperitia sit illa omnibus commendata Civilis prudentia. Hinc sanè factum est aliquamdiu, cum alibi passim, tum per Germaniam maximè, ut vel solis ICtis, vel iis potissimùm, reipubl. cura fuerit commissa: tanquam alius nemo huic negotio sit aptior, & is qui in foro valet in senatu quoque ac consilio reliquis præstet omnibus.

Is mos quando & qua coeperit occasione, mox apparebit. Ut autem initio constet, num istæc persuasio sit veritati consentanea nec ne, necessum est, ante omnia definiamus Iurisconsultum & Iurisperitiam; quoniam & illa vocabula à variis variè accipiuntur.

Primùm itaque vulgo à quamplurimis usque seculis
1. lis Iurisperitia dicta fuit quælibet cognitio juris illius, quod uni alicui est civitati proprium. Ita Romanis periti & consulti juris audierunt qui civile Romanum jus calluere; Iudæis νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς & νομικοὶ fuerunt olim, qui duntaxat circa leges Hebræorum occupaban-

bantur. Sed & ejusmodi Iurisperitos, quælibet civitas proprios aliquos habet semper. Etsi peritia istæc minus operosa sit & difficilis, ubicunque leges sunt planæ & paucæ; alibi illa in immensum sæpe adolescat, per *repugnantium sibi legum dissidia*, ut scite loquitur Ammianus Marcellinus.

Porro cum Ius civile cujuslibet civitatis aliud publicum aliud privatum sit, Romæ quidem olim ICti dicti, non tam qui illius quam qui hujus sibi peritiam comparaverant. Hinc Antonius ap. Ciceronem l. 1. de Orat: *Si quæreretur*, inquit, *quisnam ICtus vere nominaretur: eum dicerem, qui legum & consvetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad respondendum & ad agendum & ad cavendum peritus esset.* Finem quoque Iuris civilis ponit ibidem ipsemet Crassus, ex Scævolæ ICti mente: *legitimæ atque usitatæ in rebus causisque civium æqualitatis conservationem.* Antonius vero eodem loci non dubitat affirmare: *ICtum ipsum per se nihil esse, nisi legulejum quendam cautum & acutum, præconem actionum, cantorem formularum, aucupem syllabarum.* Cicero ipsemet l. 1. de Legibus dicit: *qui tum jus civile populo interpretari & respondere sunt soliti summos viros, magna professos in parvis esse versatos*: ideoque Q. Fratri ad Iuris civilis scriptionem se adhortanti respondet: *Quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum jure? aut ut stipulationum & judiciorum formulas componam?* Nec vero Ciceronis tantùm ævo intra hosce limites continuit se Romæ juris civilis professio, sed multis etiam seculis sequentibus. Quamvis enim non defuerint in ICtorum ordine etiam tum majore animo viri, circa jus ipsum publicum occupati; attamen nunquam non plerique illius ordinis ad solum jus privatum operam II.

ram

ram appulerunt, & nihilominus ICti titulum sunt commeriti. Id quod à nostri quoque temporis moribus alienum non esse, nemini est ignotum. Qua in re præivit quasi ipsemet Tribonianus, cùm in Iuris Romani Institutionibus vix semel facta publici juris mentione: tùm Pandectis & Codici paucis insertis quæ juris sunt publici; quæ ad privatum jus pertinent in grande volumen excrescentibus.

III. Quoniam porro jamdudum inolevit, ut κατ' ἐξοχὴν Ius civile nuncupetur, non id quod in quàque civitate obtinet, sed Romanum, & quidem illud quod Triboniani curâ Iustinianus Cæsar quondam digessit, cujus multa pars in ijs, quæ jàm florent, rebuspul. locum non invenit: Hinc passim usu venit hodieque, ut periti Iuris civilis habeantur, & usurpentur, non tàm qui jura ac leges suarum civitatum, quàm qui jus illud Romanum percallent. Quæ peritia tamen, quantum ab illâ alterâ usitati juris scientiâ differat, in aperto est.

IV. Potest præterea esse Iuris verè civilis, sive publici sive privati, peritia quædam, sine concomitante aptitudine cavendi, aut ad factum propositum leges applicandi. Certe quamvis *prius* qui potest vere item *posterius* valeat agere; tamen reapse aliud esse, peritum esse juris forensis, aliud, idoneum respondere de factis & negotiis hominum secundùm jura, vel ex eo patet: quod is qui applicat jus ad factum, legibus utatur tanquam principijs, & pronuntiet non tam quid juris, quàm quid juri sit consentaneum. Secus quàm facit is, qui juris peritiâ tantum est instructus, ignorans modum applicandi leges ad factum. Eo sane discrimine differt uterque hic Iuris peritus, quemadmodum Philosophus ab Oratore distinguitur in opere Problematum,

Ari-

Aristoteli vulgo, perperam tamen, adscribitur, *sect. 18. Probl. 5.* Vt nempe alter quid justiti^, alter quis justus sit attendat. Observare quoque est, haud paucos ita quidem esse peritos juris, ut quid sit lege const.tutum norint optimè, non tamen ut ijdem & cavere aut causas agere sint idonei. Vt proinde manifestum sit, quantum utraque hæc jurisperitia inter sese dissideat.

Jus porro cujuslibet civitatis, vel nude tantum scitur, ignorata omni juris illius cum utilitate tum ratione; vel ita accurate intelligitur, ut non tantum pernoscas legis latæ mentem, sed quoque simul, quam illa sit vel naturali juri atque æquitati consentanea necne, vel reip. usibus commoda aut adversa. Quamvis autem prior cognitio multum alterâ sit rudior, tamen & illa vulgo Iurisprudentia appellatur: imo posterior à quammultis creditur Iurisperitiæ limites excedere. In quam sententiam ivit sanè & Tribonianus. Quo autore hæc Iuliani: *non omnium quæ à majoribus constituta sunt ratio reddi potest*; & illa Neratij: *ideo rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet, alioqui multa ex his quæ certa sunt subvertentur*; in leges translata sunt. *ff. de legibus.* Certum tamen nec minus in aperto est: si commoda & incommoda, rationesque legum sive Privatarum sive Publicarum, unà cum earum sensu intelligantur, longe eam notitiam Iurisperitiæ & Prudentiæ titulo esse digniorem, quam est illa rudior, & huic istam multùm anteferendam. V.

Si postremò vim vocum spectemus, juris & peritia & prudentia, eòque ars boni & æqui, divinarum item humanarumque rerum scientia, dicenda maxime est, non tàm legum unius atque alterius civitatis scientia, quam VI.

in universum illa, qua tenemus, quæ leges reipublicæ cuique speciei cõveniant, cum publice tum privatim, quemadmodum illæ ferendæ, aliæ vero abrogandæ. Quæ cognitio ab omnibus illis, quas hactenus enumeravimus, Jurisperitiæ speciebus, immane quantum differt. Nec verò quæ talis est, meretur duntaxat titulum peritiæ juris, sed & præ aliis meretur, utpote quæ sola momentum nominis expleat. Passim etiam hoc nomine venit, & ita quidem, ut quæ huic uni debetur gloria illis ante dictis speciebus per errorem à quàmmultis tribuatur.

Cum autẽ adeo multiplex & varia doctrina uno eodemque Juris prudentiæ aut peritiæ nomine significetur, non potest in universum pronunciari, quantũ illa cum vera civili Prudentia habeat nec ne affinitatis. Omnes quippe illæ peritiæ Iuris duntaxat nomine idem quid, reapse autem plurimum sunt diversæ. Eapropter uti appareat, quo merito Iurisperitia à quàm multis Politica ipsa, & Juris periti Politici censeantur, distinctim agendum, & per singulas quasque species est eundum.

1. Primo igitur, cum verus Politicus sit aptus omnibus omnino rebusp. administrandis, teneatque in universum omnium earum naturam, & sive conservandi sive mutandi sive instituendi rationem; Nemo autem eorum qui jura callet unius cujusdam civitatis, ut ut exactissimè illa calleat, eo ipso, plus quam uni illi civitati regendæ fiat idoneus: illam verè Politicam prudentiam à qualibet prudentia juris ejus, quod in una alteraque civitate obtinet, plurimum diversam esse, manifestum est. Fieri porro non potest, ut omnia, quorum in rep. usus est, legibus sint definita; imo identidem præter & contra leges multa committuntur, eòque in singulis etiam rebusp.

plu-

plurima in deliberationem veniunt,& longè maxima agenda sunt,& accuratâ quidem prudentiâ,à Politico,quæ ex legibus peti nequeunt. Quamvis igitur nihil te fugiat legum tuæ civitatis, & omne ejus publicum privatumque jus teneas, non tamen hoc unico sufficis ad omnia consilia & negotia vel unius tuæ civitatis: sed alia quædam prudentia tibi in auxilium fuerit advocanda. Ea autem ipsa est quam Politicam nuncupamus. Et verò plane hoc in causa est, ut multi legum ignari antecellant nonnunquam in consilio dando, etiam iis qui legum omnium sunt peritissimi.

Quod si vero Peritia cum Publici tum Privati juris illius, quod in civitatibus singulis obtinet, adeo multum à Civili prudentia differt, manifestum utique secundò est, adhuc remotius ab illo abesse Juris forensis cognitionem. Enimvero quæ ad publicum jus pertinent majori longè in rep. sunt autoritate, quàm quæ privatim in foris solent decidi. Imo hæc statum ipsum reip. levicule tantum attingunt. Negari quidem haud potest, Privatum quoque illud jus Prudentiæ quid civilis continere, ceu alias demonstrabitur: Cæterum integræ Prudentiæ civilis non nisi partem attingit; & præterea non qui gnarus est juris privati unius aut alterius civitatis,eo ipso peritus est simpliciter omnis privati juris;ita ut illud, prout postulat salus publica, in singulis rebusp. queat instituere. II.

Tertio, illa peritia Iuris, quæ destituitur notitiâ rationis & æquitatis utilitatisque legum, tantùm abest à Civili prudentia, ut ne ullius quidem Prudentiæ titulum jure videatur mereri. Verè enim prudens ille est, qui novit id quod homini in vita utile est atque inutile: simili- III

ter Prudentia peritia quædam est eorum quæ homini obsunt & conducunt. At vero is qui novit tantùm, quid lege sit constitutum, eo ipso haud intelligit quid expediat necne, adeoque eo ipso non est prudens, nec peritia illa est prudentiæ quædam species. Ne Artis quidem aut Scientiæ nomen potest ista peritia tueri; utpote cùm & vera Ars rectâ ratione omnia efficiat, & Scientia nulla sit, sine certa ejus quod scitur approbatione, eàque potissimùm ex causis rerum deductâ. Certè de hac Iurisperitia verum est, id quod Iacobus Zabarella lib. de Nat. scientiæ constitut. c. 33. & Angelus Thius in Præcognitis Logices, aliique sunt professi: eam esse *simplicem quandam peritiam*, quæ proprie quidem *nec Scientia, nec Prudentia, nec Ars appellari mereatur*. Quemadmodum videlicet Plato in Gorgia disserit, de nonnullis, ut ipse loquitur, adulatoriis disciplinis. Uidetur autem peritia istæc optimo jure Historica dici: non quòd ex historiis vulgò ita appellatis petenda sit; aut quasi ejus qui vulgo Historicus audit, non autem Iurisperiti, in officio sit illam tradere. Sed quoniam, id scire quid lege latum sit, perinde se habeat, atque scire quid dictum gestum factum aliàs sit; quæ utiq; est historica cognitio. Quoniam item docere, quænam leges sint constitutæ aut abrogatæ, simile sit quasi quis historiam narret. Nec verò ad peritiam illam juris consequendam, aliis est opus adminiculis, quàm quæ requiruntur ad intelligentiam alicujus Historiæ. Præter communia nimirum interpretandi præcepta, satis est si teneas vocabulorum usum, & locorum temporumque habeas rationem. Etsi enim *scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem*, ut recte inquit ICtus Celsus: hanc tamen vim ac potestatem percipere in facili est, pau-

paucis duntaxat illis adminiculis suffulto. Quemadmodum igitur antiquis Grammaticis illa Grammaticæ species, quæ circa interpretationem Oratorum ac Poëtarum occupabatur, *Historica* dicebatur: ita hanc Iurisperitiæ speciem haud incommode Historicam appellaveris.

Quàmmaximè porro conspicua est (quod quarto loco notandum venit) Historicæ illius cognitionis natura, in juris Romani peritiâ istâ, quæ itidem omni caret notitia ejus quod naturâ justum est aut utile. Quoniam videlicet illius juris permulta in foro hodie usû non habent; hinc omnia illa perinde à nobis sciuntur, atque solent intelligi antiquæ quælibet historiæ. Certe quid Athenis, quid Spartæ, quid alibi fuerit constitutum, quidque adeo olim in rep. & judiciis obtinuerit, illud scire Historicum esse fatentur omnes. Nihil autem refert, sive Atticam legem sive Romanam noscas, si utraque usum amiserit. Et vero hac ipsâ Romani juris peritiâ gaudere haud perinde quos videas, quam qui Antiquitatum Linguarumque studium sectantur: quales sunt Philologi. Certe hi maxime hoc in loco aliis præstant: ceu de Alciato, Budæo, Cujacio, fratribus Pithoeis, & Fabris, aliisque viris clarissimis, est notissimum. Nec abs ratione est *Gramaticorum & Humanistarum* nomen, quod in maximos hujus ordinis jurisperitos per conuitium à Pragmaticis nonnullis solet torqueri: ut ipsemet Hotomannus agnoscit *Anti-Triboniani sui c. 15.* Qui etiam *c. 7.* Franciscum Duarenum & Antonium Govianum de jure accrescendi Grammaticè tantum commentatos esse, fatetur. IV

Quamvis, quintò, nuda ejusmodi jurisperitia nihil habeat prudentiæ, tamen eâ posse uti ad dijudicandas hominum actiones, est prudentiæ non levis. Quoniam V.

utique eo ipso intelligitur quodammodo, id quod in vita rectum justum aut utile est. Prudentiæ quoque est, ità leges negotiis humanis aptare posse, ut sive ipsimet tibi sive aliis secundùm eas possis cavere. Id quod maximè elucet tum, quando in civitate obtinent leges obscuræ, & intellectu difficiles, aut formulis multis intricatæ. Quales cum olim essent leges Romanæ, hinc prudentium cognomentum præ aliis tum meruerunt, illâ cavendi peritiâ præditi. Ut adeo non tam ipsa legum cognitio, quam illa cavendi juxta leges facultas prudentiæ nomine etiam tum venerit. Hinc de C. Aquilio ICto Cicero ipse *Orat. pro Cæcinna*: *ejusque prudentiam pop. Rom. in cavendo non in decipiendo perspexit.* Jamdudum ante de C. Ælio Sexto Ennius:

Egregie cordatus homo, catus Æliu Sextus.

Licet vero in illa facultate aptandi leges humanis negotiis prudentiæ aliquid reperiatur; à civili tamen prudentiâ hanc multùm esse diversam, jam tum patet ex iis quæ primo loco adduximus. Verisimilius à nonnullis *judiciaria* appellata est. Cæterum ne hoc quidē simpliciter vero est consentaneum. Rectius enim ita appellaveris facultatem illam magis communem, qua instructus, omnes sive juris sive facti quæstiones potes expedire: adeoq; cum leges quasque solerti interpretatione potes extendere, coarctare, & propositæ controversiæ adaptare; tum si de facto etiam sit controversia, callide illud dignoscere, & per testimonia, per confessionem propriam, per arcana indicia, in lucem vales educere. Revera enim talis aliqua reperitur facultas, etsi literis fortasse haud sit hactenus tradita; nec alia judicē magis absolverit. Veruntamen cum omnia judicia in singulis rebuspubl. juxa propri-as le-

as leges instituuntur, adeoque judex si officio velit in rep. fungi, teneat necessum est illius suæ reip. forenses leges; hinc patet, talem Iurisperitiam, etsi non unice absolvat vim prudentiæ judiciariæ, ad exercitium tamen ejus in hac aut illa rep. esse necessariam, ac proinde hactenus ejus partem censeri posse.

At verò qui in foro valet, non is etiam reip. eo ipso est aptus, quam juvet consilio aut servet à lapsu, vel collapsam restituat. Bene Paulus Iovius l. 2. de vita Leonis X: notat: in tractatione Mantuæ instituta de Medicæis Florentiam reducendis, Iohannem Victorium, Soderini fratrem, *scientia juris & æqui potius, quam his artibus instructum, quæ ad res gravissimas tractandas necessariæ existimantur, rem totam corrupisse.* Quid? quod multi eo ipso ad reip. difficillima negotia fiant ineptiores, quo causis agendis totos magis sese dedunt? Quoniam scilicet contendendi litigandique libido, frequenter hinc succrescat; qua infecti difficiles sunt in componendis populi negotiis & publica concordia conservanda, summo civitatis malo. Eoque tantùm abest, reip. unice utiles esse id genus homines, ut Plato *l. 2. de republ.* judicaverit, in beata rep. ne tolerandos quidem illos esse.

Nec tamen non fieri potest, ut quis simul & hac δικαστικῇ & βȣλευτικῇ imo ἀρχιτεκτονικῇ Prudentiâ sit instructus. Imo tantùm ingenii vires si in promtu sint, percommode exerceri istæc omnia ab uno possunt. Quod usu quotidiano omnibus est compertum.

Observandum porrò venit: Politicæ prudentiæ vocem solere jam olim accipi, pro omni ea cujus in reip administratione aliquis est usus: ideoque cum in judiciis haud exigua consistat publici regiminis portio, haud male & di-

δικαστικὴ isthæc hactenus quidem pars sive species quædam Civilis prudentiæ censeri potest. Idque jam tum factum est ab ipso Aristotele: quod infra distinctius explicabitur.

VI. Longe majoris adhuc prudentiæ est, si non teneas tantùm, quid lege sit constitutum, sed simul etiam pernoscas, num, quod ita constitutum, utile sit reip. nec ne. Et vero intelligi hoc utique potest, sive privatum sive publicum jus spectes. Estque in illa intelligentia plurimum profecto collocatum. Etsi enim originem legum omnium tuæ reipubl. quæque earum ferendarum fuerit occasio, non liceat semper assequi, adeoque hactenus omnium quæ à majoribus sunt constituta ratio reddi nequeat: tamen æquitas & utilitas legum omnium ab homine prudente facile dignoscitur. Similiter non oportet quidem in rationes latarum legum ideo inquirere, ut si illæ fortassis laborent aliqua parte, tu vitia earum publicè cum tumultu quodam traducas. Nec si tu haud possis rationem earum assequi præ judicii hebetudine, statim fas est leges illas contemnere aut vocare in dubium. Ita enim sane *ex his multa quæ certa sunt subvertentur*, ut dixit Neratius, simulque reip. salus periclitabitur. Attamen qui verè est Iurisprudens, non potest non simul in legum æquitatem & usum animadvertere. Expedit quoque reip. ut nonnulli tales reperiantur, quo laborantibus legibus succurri possit novâ legislatione, quæ autem bene se habent jura queant conservari. Facile verò apparet, de æquitate & usu legum judicare, non esse, nisi ejus qui novit, *primo*, quid in sese æquum & cuilibet reip. conveniens, *deinde* illius populi & illius reip. cujus sunt leges, indolem, mores & instituta. Perinde nimirum atque

que, Medicus judicaturus de ægroti alicujus statu omni, necessum est teneat & Medicam artem ipsam & ægroti sui constitutionem. Jam vero quid æquum & cuilibet reip. expediens sit, Politicæ est prudentiæ intelligere; ceu mox patebit. Ideoque quo de nunc agimus Iurisprudens Politicâ prudentiâ oportet sit instructus.

Attamen cum singularum legum notitia non sit Prudentiæ civilis ejus, quæ generatim omnibus prospicit rebuspubl. (perinde atque in arte Medica de singulis ægrotis non agitur) singula autem reip. suæ instituta intelligat hic Iurisprudens noster: consequens est hanc singularis prudentiam juris fluere quidem ex parte è prudentiâ Politicâ, non omnino tamen esse eandem, sed esse aliquam ad singularem quandam rempublicam restrictam prudentiam.

Etsi porro utilitatem æquitatemque privati juris non ex alijs quam Civilis Philosophiæ fontibus liceat haurire, facile tamen apparet, si teneas tantùm privati juris rationem, publicarum legum usu ignorato, longius te à Civilis prudentiæ ambitu abesse: utpote cum leges publicæ privatis longe antecellant, & reip. statum ac salutem omnem contineant.

Quâ de ultimo loco diximus Iurisprudentia, ipsissima est prudentia Civilis: ceu ex ijs quæ inposterum disseremus patebit. Revera tamen non ex omni parte amplitudinem illius Civilis prudentiæ exæquat: utpote cum ad reip. gubernationem multa pertineant, quæ legibus certis definiri nequeunt, adeoq; consultatio de longe alijs plurimis identidem instituatur. Pars igitur quidem est Iurisprudentia hæc Politices, & quidem pars nobilis, non tamen omnino ipsamet illa est. Verum non so- VII.

let ejusmodi prudentia venire vulgò Iurisprudentiæ vocabulo, nec qui Iurisprudentes vulgo audiunt hanc solent profiteri, sed in longe alijs versantur. Eoque non etiam est fortasse, quamobrem scrupulose hanc quidem Iurisprudentiam cum Politica contendamus.

Quid de singulis igitur Iurisperitiæ speciebus sit sentiendum, factum jam est manifestum. Simul autem constat, fere omnium minimè Politicos esse illos, qui vulgò ita singulariter dictâ Iurisperitiâ duntaxat sunt imbuti. Nec vero etsi illi agant passim id quod est verè Politicum, suæ id jurisperitiæ agunt habitu; sed vel quadam φύσει naturali, vel acquisitâ aliunde, minimè autem suæ ex artis libris comparata, prudentia.

Eoque passim gentium, imo in ipsa Germania nostra, ad reip. consilia identidem plane alij admoventur. Quod verò ex ijs qui inter eruditos censentur, Iurisperiti diu sæpius sint admissi, nulla alia de causa factum est, quam quoniam reip. negotijs ea quæ ad leges & judicia pertinent sint permista, omniaque illa ab ijsdem optimè exerceri posse, fuerit persuasum. Accedit, quod pacis tempore in judicijs magnam partem resp. sit occupata, eóque saltim tum ijs qui judicijs præsunt tota resp. haud incommode administranda possit committi; præsertim si illa exiguis limitibus atque adeò in paucis negotijs fuerit constricta. Non ferunt etiam parvarum rerump. sumptus, ut alij judicijs, alij consultationibus publicis præficiantur. Creditum denique hactenus permultis est, Civilem Prudentiam ex libris aut à doctoribus singulari opera petendam non esse; sed ad remp. gerendam sufficere nativam aliquam solertiam, quâ peritos juris destitui non sit verisimile.

CAP.

CAPUT III.

Rhetoricam artem magno errore à Sophistis antiquis Græciæ habitam cum Politica eandem esse. Differre item Politicam prudentiam à συνέσει, ut & usu aliquo rerum parta prudentia.

QUemadmodum nostra ætate Jurisperitia, ita olim Rhetorica sive Oratoria Politicæ speciem assumsit. Etenim apud Græcos Socrate adhuc vivente, adeoque circa Platonis & Aristotelis tempora, Sophistæ qui appellabantur (erant autem ijdem Rhetores) Politicam docendam susceperunt.

Hac certe de causa Plato veram de rep. doctrinam propositurus, atque ab ijs quibus tum laborabat vanitatibus liberaturus, Sophistarum aliquos in scenam introduxit, tanquam hujus doctrinæ ineptos magistros. Aristoteles quoque diserta oratione Sophistas hoc nomine perstringit sub finem Ethici operis ad Nicomachum: & in eandem sententiam scribit *lib. 1. Rhet. c. 2. n. 16. §.* ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορικὴ· adeoque ejus professores pro Politicis se conari venditare. Cæterum recte addit idem Aristoteles, fieri illud partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim alias ob causas, quibus interdum hominum animi moveri solent. Atque arrogantia quidem & inscitia Sophistarum aliàs nota est, cum ex eo, quod omnium rerum scientia sese instructos non dubitaverint venditare, quamvis longe essent imperitissimi; tum quod Civilem prudentiam susceperint docendam, neque ipsi in rep. versati, neque eam nisi perineptè docti, ceu apparet ex docendi ratione quam instituerunt, qua de infra erit dissetendum.

Non difficile autem ostensu etiam est ingens discrimen, quod est inter Rhetoricam & Civilem Philosophi-
1. am. Primo enim solent quidem & Oratores potissimum versari in argumento Politico, eoque rectè dictum ab Alexandro Aphrodisiense: ἡ ῥητορικὴ μὴ περὶ πᾶσαν ὕλην ὁμοίως ἐστὶ τῇ διαλεκτικῇ, περὶ γὰρ τὴν πολιτικὴν μᾶλλον ὁ ῥήτωρ. Ab autore quoque Rhetoricorum ad Alexandrum (quisquis tandem sit) ipsa Rhetorica haud omnino perperam appellatur μέθοδος τῶν πολιτικῶν λόγων, & orationes ipsæ extremo Sophisticorum Elenchorum audiunt πολιτικοὶ λόγοι. Attamen aptus quoque Orator est longe alijs argumentis tractandis; solet item in longe alijs identidem versari. Hinc Aristoteles diserte scribit, *non unius certi ac definiti generis esse Rhetoricam, perinde ut & Dialecticam*. Verba ejusdem sunt: ἡ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. Cui hac in re potius assentiendum, quam Hermagoræ, *civiles quæstiones solas materiam O-*
2. *ratoris esse* profitenti. Ad hoc rarò Orator ἐν θέσει Politicum aliquod argumentum tractat sed plerumque versatur in hypothesi. Vnde rectè Alexander: *de rebus singularibus magis dicit Orator, de his enim sunt judicia & consultationes & encomia*. Ex adverso Politicus, Philosophus quidem, in thesi versatur unicè, hypothesin relinquens
3. pragmaticis. Modus porro tractandi Oratorius & vere Politicus multùm est diversus. Philosophus enim civilis doctrinam suam haurit ex proprijs & domesticis principijs, veritatemque unice habet propositam: Orator verò utitur tantùm ijs quæ vulgò probantur, qualia sæpe sunt à vero multum aliena: nec adeo spectat id quod veritati est consentaneum, modò id quod vult persuadeat auditori: nullo proinde non in illum finem utens adminiculo,

niculo, non rationum duntaxat verùm etiam actionis & sermonis. Hinc Orator aptus est contraria persuadere, habetque in omnem partem ad manus argumenta. Civilis contra Philosophus unum de quavis re tantùm affirmat, quemadmodum una tantùm in qualibet re est veritas. Denique in Rhetoricis non docentur ipsa πολιτικά 4.
sed tantùm ars quædam sive *facultas percipiendi, quid in quaque re excogitari potest idoneum ad persuadendum*: ut præclare loquitur Aristoteles. Etsi igitur Orator ope suæ Oratoriæ possit in civilibus etiam controversijs perspicere, quod ad persuadendum est aptum: tamen ipsa facultas Oratoria circa civilia istæc non est occupata. Perinde atque Logicæ quidem auxilio Philosophus omne genus scientiæ indagat, ipsa tamen Logica id facit minime.

Cæterum hæc pluribus exponere non est necessum. cum vel ex hisce paucis unicuivis liquidò appareat, quid Politicam & Rhetoricam intersit.

Multo potiori jure Politici audiunt qui longo usu peritiam rerum civilium sibi comparaverunt, ita ut cum laude in rep. versentur. Quales olim præ multis celebrati Miltiades, Cimon, Themistocles inter Græcos; Numa, Scipio, Cato, Augustus alijque complures apud Latinos: apud alios alij. Cæterum nec illos exactè Politicos esse, argumento est, quod cum prudentia hac nihil sit præclarius & præstabilius, tamen nequeant illam docere istos, quibus quàm optimè cupiunt, cujusmodi sunt utique amici & liberi. Est nimirum scientiæ signum posse docere id quod novisti. Qui ergo exactè tenent hanc prudentiam, necesse est ut & docere illam possint. Experientiam itaque politicam habent quidem id genus præstantes viri: & φύσει quadam nativa sunt

præditi; certam tamen aliquam prudentiæ viam, scientiamque civilium rerum, minimè sibi acquisiverunt. Id quod jam olim præclare monuit Aristoteles, fine operis Ethici ad Nicomachum.

CAPVT IV.

De Subjecto ejusque affectionibus, circa quæ Politica doctrina versatur.

POsteaquam exposuimus varias & Politicæ & Politici vocum significationes, in vulgo quidem usitatas, ab eo tamen quod nobis describere est propositum abeuntes, consequens est ut subjungamus tandem, quid nosmet ipsi vocabulis illis intellectum velimus: atque adeo quid sit Politica illa quâ de nobis sermo est, quis Politicus quem nos isthoc titulo honoramus.

Hoc ipsum autem ordine fiet, si *initio*, circa quod Subjectum, *deinde* quas circa subjecti sui affectiones, versetur Politica, doceamus. Omnis quippe doctrina materiam aliquam certam, certasque affectiones habet, in quibus occupetur. Quin hoc ipso maxime altera ab altera distinguitur.

Ac subjectum quidem quod attinet, videtur illud ipsa vocum vi statim indicari. Politicam scilicet seu Civilem doctrinam circa civitatem aut rempublicam versari. Est autem civitas (ut rudi eam stylo nunc describamus) liber aliquis & sui juris multorum hominum cœtus, bene vivendi causa coalitus. Eodem sensu nunc licet accipere reip. sive πολιτείας vocem; quæ alioquin proprie notat non civitatem integram sed regimen & constitutionem civitatis.

Hactenus itaque extra controversiam est, Politicæ seu Civilis doctrinæ subjectum; nempe quod Civitas, aut civilis

civilis ſocietas, Politicæ ſubjectum ſit. Porro pergentibus autem obſervare eſt, in hujus doctrinæ ſcriptoribus, non unam de illo ſententiam. Alios enim videas deſcribere remp. aliquam ex voto optimam; Alios ſingularem quandam ſive veterem, ſive novam, cujuſmodi eſt gratia exempli noſtra Germanica, idque cum faciant, profiteri eos, abs ſe tradi Politicam ſive Civilem doctrinam. Qui proinde neceſſum eſt affirment, vel unam illam optimam, vel unam illam ſingularem ſuam rempubl. doctrinæ hujus ſubjectum eſſe: niſi ipſimet fateri malint, magna profeſſos in exiguo ſe verſari.

Perſpicuum autem eſt *primo* quidem: Civitatem & Rempublicam genus quoddam eſſe, multas ac varias ſpecies comprehendens, eaſque non omnes ex voto optimas: nec enim una eſt ratio rerump. & civitatum omnium ſed pervaria. Conſtat *ſecundo*, integri illius generis omniumque ejus ſpecierum, unam aliquam doctrinam unamque ſcientiam eſſe. Artium nimirum & ſcientiarum aliæ integrum aliquod genus occupant, aliæ non niſi particulam quaſi abſcindunt. Sunt autem earum, illæ demum perfectæ & abſolutæ, hæ portiones tantum perfectarum. Ceu doctrinæ de metallis, de plantis, de animalibus Naturalis philoſophiæ nonniſi partes ſunt, ipsâ hac Philoſophia omnia motui obnoxia complectente. Hinc porro conſequens eſt, illam quæ circa omne civitatum rerumque publicarum genus occupata eſt, doctrinam, quàm maximè eſſe perfectam, maximeque dignam nomine Politicæ ſive Civilis doctrinæ. Vtpote quæ unica omnem omnino, quæ de civitate & republica eſt, ſcientiam exhauriat, adeoque nominis ſui menſuram adimpleat.

Neque

Neque vero Civilis ſcientia ſimpliciter meretur audire ea quæ eſt unius optimæ reipubl. aut alterius alicujus reip. ſpeciei, regni fortaſſe, peritia: ut ut etiam illa ſit aliquid Civilis ſcientiæ. Particula enim duntaxat eſt ejus quæ ſimpliciter Civilis ſcientiæ nomine digna eſt: utpote quam altera iſthæc unà cum alijs multis ambitu ſuo comprehendat. Perinde nimirum atque Medicæ artis nomen ſimpliciter non impetrat peritia ſanandi calculi, aut febris, aut oculi affectuum; ſed illa demum, quæ & horum & omnium omnino morborum aliorum, omniſque plane ſanitatis, curam habet.

Pertinent huc quæ præclare ab Ariſtotele diſſeruntur *lib. 4. Polit. c. 1.* adverſus eos Politicæ magiſtros, qui optimæ ex voto reipublicæ doctrinâ traditâ, officio ſuo ſeſe perfunctos exiſtimabant. Et vero illa ex voto optima reſpublica vix eſt uti alicubi conſtitui poſſit: quare etiam ejus peritia in vitâ parùm utilis eſt, tantùm abeſt, ut abſolvat omne illud, quod ad civitatem quamq; adminiſtrandam eſt neceſſarium. Ignorare verò non oportet, etiam illam *ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην* ad cujus ſcilicet res impetrandas non multis adeo votis opus eſt, ideoque minus difficulter poteſt obtineri. Imo intereſt maximè, uti ſciamus, quemadmodum quælibet omnino reſpubl., cujuſmodicunque etiam illa ſit, cum ab initio conſtitui, tum conſtituta queat conſervari. Nec enim quælibet civitas poteſt attingere vel medium illum felicitatis gradum; & tamen æquum eſt, ne ignoret is qui vere eſt Politicus, quomodo & his liceat mederi: adeoque neceſſum eſt teneat is omnium omnino rerumpublicarum ſpecies, nullâ vel minimâ neglecta. Plane ut prudentis medici eſt, non habere propoſitam ſemper omnibus numeris abſolutam

ſani-

ſanitatem, ſed frequenter mediocrem quam neutram vocant: imo ſæpe contentum eſſe ea quæ omni ex parte non eſt deplorata. Quem proinde itidem neceſſum eſt tenere omnem plane ſanitatis morborumque rationem, quantumvis ingens horum omnium ſit diverſitas.

Tametſi autem Politicæ ſit, per omnes reſpublicas curam diffundere, non tamen ad ſingulas quaſque neceſſum eſt deſcendat. Eo ipſo enim quo omnes rerump. ſpecies pernoſcit, etſi non actu, virtualiter tamen ut ita loquar, etiam ſingulas jam intelligit. Adeoque ſingularium notitia ipſi quidem huic ſcientiæ eſt ſupervacanea. Infinitæ porro numero ſunt ſingulæ quidem reſp. infinitum autem quod eſt ab intellectu humano comprehendi non poteſt. Ac proinde nulla fuerit Politica ſcientia, ſi illa infinitarum rerumpubl. notitiam requirit.

Cum omnium verò rerump. hactenus quidem eadem ſit ratio, ſi non omnium ſingularium notitia ad Politicum pertinet, nullius plane ſingularis reip. curam Politicæ Philoſophiæ eſſe manifeſtum eſt. Neque enim ratio ulla eſt, quare hujus ſingularis reip. magis quam alterius alicujus cura iſtuc ſpectet. Quæ ſi vera ſunt, (ſunt autem veriſſima) liquet profecto, quàm illi Politicæ naturam ignorent, qui in unius aut alterius reip. peritia integræ hujus ſcientiæ vim collocant. Quales tamen non deeſſe, ante notavimus.

Et vero quæ omnium ſcientiarum artiumque, ea & veræ Politicæ eſt natura. Omnes enim artes & ſcientiæ pro ſubjecto habent, res non ſingulares & individuas, ſed univerſales: genera nimirum & ſpecies rerum; adeoque omnia ſua conſiderant abſtractive à materia ſingulari, ut loquuntur ſcholæ. Longe alia videlicet eſt ratio

ipsarummet artium, alia artificum artibus instructorum, vel jam tum in actu rerum versantium. Namque hi in singularibus aut individuis toti sunt occupati, adjuti quidem artibus suis, non ijs tamen solis, sed præterea cujusdam cognitionis particularis beneficio. Sic Ars quidem medica simpliciter agit de febricitantibus aut epilepticis: Medicus autem Petrum, Paulum, Johannem, sive febricitantem sive epilepticum curandum suscipit; idque uti faciat, ab Arte medica quidem accipit, quemadmodum febricitans aliquis aut epilepticus, sanandus sit: aliunde vero intelligit, Petrum, Paulum, Johannem, vel febre vel epilepsia laborare. Politicus igitur quidem omnino occupatur circa resp. singulares, ab ipsa tamen Politica scientia isthæc cura aliena est.

Cæterùm subjectum quodnam sit Politicæ, satis fortasse jam claret. Accedet tamen lux aliqua, ubi exposuerimus quænam subjecti illius affectiones propriè & verè sint Politicæ considerationis: quæ altera est pars institutæ hujus nostræ operæ. Et vero ne hîc quidem omnes consentiunt. Sunt enim qui omne quod in civitate usum aliquem habet ad Politicam referunt. Ideoque Prudentiam Moralem, Oeconomicam, Bellicam, Iudiciariam, arbitrantur partes esse Politicæ, idque magnis autoribus eunt adstructum. Dixeris sane illa in sententia fuisse & Gabrielem Naudæum, quoniam in sua Bibliographia Politica recenset etiam eos qui scripserunt de Oeconomicis, Ethicis, Arte conscribendarum epistolarum, alijsque; tanquam omnia illa pertineant ad Politicam. Alij tantum ea quæ maximè universaliter insunt rebusp. hujus censent argumenti esse, quæ ad specialiorem vero earum spectant administrationem aliarum artium

tium, cumprimis vero Juris esse prudentiæ: quam sententiam Christophorus Besoldus nonnullis persuasit.

Vt vero id quod res est hîc etiam pateat, ponendum est ante omnia, id quod in Analyticis demonstratur: eas omnes solasque affectiones scientijs atque artibus esse domesticas ac proprias, quæ de subjectis ipsarum primò prædicantur, nec per accidens sed per se, idque in primo & secundo dicendi per se modo. Igitur quæ non insunt Civili societati aut reipublicæ primò ac per sese, sed quæ tametsi insint non nisi ex accidente illi competunt, ea in universum à Politica scientia aliena sunt. Insunt autem per accidens, quæcunque sive adsint sive absint, nihil ad salutem aut detrimentum reip. alicujus interest. Quæcunq; vero omninò competunt reipublicæ, sive omni sive ulli ejus speciei, & quidem ita competunt ut non nisi ad naturam rationemque civitatis sive reip. pertineant, adeoque genera & differentiæ, principia item, partes, causæ, propriæque affectiones rerumpublicarum, universa Politici sunt argumenti, atque huic scientiæ plane domestica.

Hisce autem positis non obscurum est amplius, quid de modò propositis sententijs sit existimandum. Et vero ut ordine retrogrado Besoldi opinionem primò excutiamus; constat utique, ad salutem cujuslibet reip. plurimum referre, quemadmodum non duntaxat communissima quædam sed & quæ maximè videntur specialia sese habeant; sive personas spectes sive res quaslibet, quarum in civitate usus est. Igitur non tantum communissima illa reip. administrandæ præcepta, aut universalis quædam civilium rerum peritia ad Politicam pertinet; sed omnino in illius officio est specialia etiam quæque, sive res sive personas attingant, definire, quem-

admodum illa habere sese debeant, aut simpliciter in rebusp. universis, aut in alijs atque alijs earum speciebus.

Vnde palàm & illud est non solummodo jus publicum sed etiam privatum hujus disciplinæ esse. Quod ipsum Platoni quoque olim visum fuisse, perspicere est ex integro de Legibus opere. Non aliter autem & Aristoteli placuisse, cum ex eo manifestum est, quod simpliciter hæc scientia passim ipsi audiat νομοθετική, quo nomine indigna esset si privatum jus ad eam non pertinet: tum vel ex ijs paucis, quæ in superstite nobis parte Politici voluminis de optima rep adferuntur, circa connubia, primam nativitatem & educationem liberorum. Alios autores idem nobiscum sentientes non est operæ nunc pretium in testimonium heic adducere.

Quam primò loco proposuimus sententiam à vero aberrare, argumento est, quod isthac admissâ dicendum veniat: omnes omnino artes & scientias ad Politicam pertinere ejusque partes esse. Quo nihil dictu est absurdius. Scilicet nulla non artium & scientiarum aliquem in rep. habet usum. Si omnia ergo quæ commodi nonnihil reip. præstant Politici sunt argumenti, omnes utique scientiæ & artes omnes Politicæ partes fuerint. Igitur est quidem Politicæ Philosophiæ de omnibus omnino dispicere, non tamen ulterius quam quatenus illa reip. vel utilia vel noxia sunt; reliqua omnis rerum quarumlibet consideratio scientiarum & artium quarumvis propria est. Hinc etiam hactenus artium scientiarumque omnium quasi architectonica & princeps est Politica quidem (quippe cum ea sit, ut recte loquitur Aristoteles l. 1, Ethic. c. 1. *quæ quasnam esse in civitatibus scientias oporteat, tum quæ quemque discere & quousque, constituat*) non tamen

tamen ut ipsamet illa omnia omnia mente teneat necessum est. Multùm vero interest, usumne duntaxat civilem rei alicujus intelligas, an vero integram ejus habeas scientiam. Nec verò Architecti est plenam habere peritiam omnium quæ ad ædium structuram faciunt operum: sufficit si noverit, quantum eorum unumquodque ad propositum scopum possit conducere. Poterit sanè etiam ita satis recte omnibus imperare.

CAPVT V.

Politicam prudentiam differre, à Prudentia qualibet, ut & à Militari, Oeconomica, Chrematistica & Morali.

Hæc cum ita sese habeant, haud difficile amplius definitu etiam est, quid seorsim cũ de omnigena Prudentia, tùm de Militari, de Oeconomica, de Pecuniaria quam χρηματιστικὴν Græci appellant, postremo & de Morali sit sentiendum: num sc. partes sint Politicæ nec ne.

Scilicet omnes quidem illæ civitati administrandæ per sunt utiles, hinc tamen haud est colligere, omnes illas Politicæ partes esse.

Non esse autem, illud porrò firmo argumento est: quod nihil horum primò & per sese faciat ad civitatem, sed extra etiam illãm locum suum inveniant. Licet nimirum vitam instituere non in civili tantùm societate, sed etiam extra illam, idque multis modis. An æque commode, nec ne, non est quod hic disputemus.

Iam vero PRVDENTIA omnigenâ opus esse, in omni etiam non civili vita, manifestum est. Ideoque non profecto omnis Prudentia unicè inservit civitati: ac proinde non omnis etiam Politicæ est accensenda. Potest quidem Politica, imo debet, in usum suum adsciscere universæ prudentiæ monita; (nec enim absque

jis civitati recte consulueris) attamen id quando fit, tum communia præcepta non amplius communia manent, sed ad civilem materiam restricta fiunt Politicæ domestica: usurpante nimirum illâ τὰ κοινὰ ἰδίως, ut Aristotelicis loquamur verbis. Id quod in omni doctrinæ genere recte fieri, ex Analyticis discimus.

Similiter & MILITAREM prudentiam unicè quidem haud pertinere ad civilem societatem, patet; quoniam illa uti possunt, etiam qui civilem societatem non colunt. Dirigit igitur quidem militiam suam in usum civitatis Politica, Arte etiam militari subinde utitur tanquam ministra, attamen ipsa artem illam non facit suam. De illo in Militarem artem Politicæ imperio, memoratu digna sunt verba Græci Paraphrastæ operis Ethi i ad Nicomachum, qui Andronicus Rhodius vulgo, perperam tamen, usurpatur. *Civilis scientia* (inquit l. 1. c. 2.) *nec eum qui imperare potest aut servare rempubl. coriarium esse finit, nec eum qui melius inter milites versatur ad imperatorium munus vocat. Sed & tempora maxime exercendis idonea artibus designat: ne quis e. gr. cum præstat quiescere ducat exercitum. Etenim & cum opus est imperatorem mittere, mittet eum Politicus: & cum præstabit quiescere, hoc quoque imperabit. Quamvis enim non raro ipse sibi tempus præscribat imperator, non tamen id facit arte sua militari. Omnes enim artis alicujus regulæ artis illius finem duntaxat spectant: quæ vero vel in contrarium vel in aliud aliquod fertur non est artis illius regula. Sic imperator considerans quando bellum oporteat gerere & eapropter interdum quiescens, & pacis causa legatos mittens, manifeste non amplius ex regula imperatoriæ artis agit, sed alterius alicujus artis, majoris & superioris, quæ est ipsa Politica.* Hæc ille. Est autem hoc Politicæ & mili-

Militaris artis discrimen usque adeo clarum, ut à doctissimis plerisque sit animadversum; qui proinde vulgò Militarem artem inter Politicæ ministras connumerant.

Iure vero idem censendum est & de OECONOMICA. Nec enim domesticum omne tota natura sua ad civilem spectat societatem; etsi domus ejus pars sit. Perinde scilicet ut simplicia corpora quæ elementa appellamus partes etiam sunt compositorum, & tamen citra omnem compositionem quoque rectè sibi constânt. Alia nimirum ita in partium sunt numero, ut à toto composito sejuncta perdant statim omnem essentiam suam. Suntque illa totâ naturâ suâ facta ad totius alicujus integritatem. De quibus proinde verum est Aristotelis illud: τὸ μόριον οὐ μόνον ἄλλου ἐστὶ μόριον ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου: *Pars non duntaxat alterius pars est, sed omnino alterius.* Alia quadamtenus quidem comparata sunt ad integrandum totum aliquod, quadamtenus tamen, idque non leviter, ita sese habent, ut solitaria etiam tueantur vim propriæ naturæ suæ. Cujus posterioris ordinis esse domesticam societatem, (ut alia nunc taceam) satis ostendit vita primorum hominum, per domos duntaxat, absque civitate, nec infeliciter tamen (ipso quippe autore Deo) instituta. Nec enim fieri id possit, si domus, quanta quanta est, salutem suam unice debeat civitati. Cum ad hunc verò modum domus sese habeat, manifestum est, illam non omni ex parte, primò, & per sese, ad civilem societatem pertinere: ac proinde nec Oeconomicam omnem artem Politicæ portionem censendam esse.

Cæterum Oeconomicen partem vel appendicem esse Politices, non desunt tamen viri præclari, Averroëm secuti, qui profiteantur. Quin possit videri haud immerito

merito, facere cum ijs & Aristoteles. Ea enim passim Politicæ asscribit de rebus domesticis tractanda, quæ singularem Oeconomicam doctrinam tollunt è medio.

Fortassis tamen haud adeo clara est hac in re ipsiusmet Aristotelis sententia. *Primo* enim diversa parte certum est, nusquam ab illo disertis verbis, Oeconomicen dictam esse Politicæ partem. Superest *deinde* hodieque Aristotelis nomine singularis & à Politico opere separatus liber Oeconomicus. Imo in ejus limine statim legitur: utramque doctrinam cum aliàs tum eo etiam inter sese differre, quod Politicæ subjectum civitas sit, Oeconomicæ domus; hanc etiam illa esse origine priorem perinde ut opus ejus prius est, cum pars urbis sit domus. Sed ille liber num sit Aristotelicus merito dubites, eoque nihil certi docet hoc etiam testimonium.

Majoris ponderis dixeris, quod initio statim Nicomachiorum Ethicorum asseratur, *finem Oeconomicæ divitias esse*, qui finis utique non est Politices. Fortassis verò & ille locus est mendosus; legendumque ibi χρηματιστικῆς vocabulum. Etenim hujus demum scopum divitias & pecuniam esse, domesticam autem societatem ne desiderare quidem simpliciter divitias, sed nonnihil duntaxat opum quantum ad usum sufficit quotidianum, nec Oeconomicum tam laborare debere, ut vel mediocres illas divitias acquirat, quàm ut recte jam acquisitas disponat & usurpet, præclare Aristoteles docet. *1. Polit. c. 5. 8. & 10.*

Magis extra controversiam est, Aristotelica esse, quæ libro 6. Ethic. c. 8. & passim lib. 1. Polit. docentur, ubi ἡ οἰκονομία & οἰκονομικὴ distinctim collocatur non minus à Legislatoria sive vera Civili Philosophia, quàm à Politica speciali sive Consultatoria, Politicus item & Oeconomi-

nomicus tanquam duo diſtincti artifices numerantur. Quod minus recte fieri, ſi vel pars vel appendix Politices Oeconomica ſit habenda, manifeſtum eſt.

Difficile tamen eſt definitu, quidnam ſecundum Ariſtotelem Oeconomici proprium ſit à Politico diſtinctum. Nec enim Ariſtoteli eſt conſentaneum id quod nonnulli ajunt, Oeconomicam verſari circa rationem divitiarum acquirendarum, ceu jam tum eſt dictum. De conjunctione verò & conſuetudine omni domeſtica maris & fœminæ, de educatione item liberorum, de rei familiaris uſu, quæ Oeconomica maxime videntur, agere Ariſtoteles Politicum jubet. Diſerte nimirum ita loquitur 1. Polit. c. ult. *De fœmina autem & viri, de liberorum & parentum ſingulis conveniente virtute, deque ea quæ inter illos eſt conſuetudine, quid rectum quid pravum ſit, & quemadmodum rectum quidem perſequi oporteat, quod pravũ fugere, in ijs quæ de republ. neceſſario ſunt explicanda.* Addit rationem: *quoniam enim omnis quidem domus pars eſt civitatis, hi autem domus, partis autem virtutem ad totius virtutem ſpectare oportet, neceſſariò in civitatem intuentes inſtituere debent & liberos & uxores; ſi quid intereſt ad hoc ut civitas ſit bona, liberos quoque eſſe bonos & uxores bonas. Intereſſe autem neceſſum eſt: nam fœminæ quidem pars dimidia ſunt liberorum capitum, ex liberis autem participes civitatis oriuntur.* Hæc Ariſtoteles. Idem ſeptimo & octavo libro accurate adeo diſſerere incepit de maris & fœminæ conjunctione, ut & de educatione liberorum, ut quid ejus tandem Oeconomici maneat argumenti, vix appareat. Certe melior pars eorum quæ in libro Oeconomico leguntur, rectius in Politicis & accuratius pertractatur. Et verò ſi domus eſt talis pars civitatis qualem eſſe vult Ariſtoteles, h. e. quæ totâ naturâ ſuâ ad ci-

vitatem feratur, nihil utique ad salutem & conservationem ejus pertinet quod non curæ Politicæ debeatur, adeoque ex præscripto Politicæ administrandum sit.

Quæcunque verò fuerit Aristotelis sententia, id sane est falsum, ea quæ ad domus salutem pertinent, primò & per sese ad civitatem facere. Interesse civitatis ut recte & pro usu reip. domus sese habeat: partem item civitatis esse domum; proindeque in Politices officio esse definire, quemadmodum non in beatâ tantum rep. sed in alijs quoque rerump. speciebus, domestica omnia habere sese debeant: præclare ab Aristotele est observatum & monitum. At verò partes quoque civitatis sunt omnis generis artifices, nec minus refert publicè plurimùm, recte an perperam illorum opera exerceantur; non tamen quæ ad artes pertinent omnia Politici est præscribere. Scilicet cum partium alia atque alia sit natura, non ita domus est civitatis pars, ut tota ad civitatem spectet. Ne quidem verum est, domesticæ societati, aut in universum homini, extra civilem vitam obtingere felicitatem non posse. Et tamen hæc adversæ sententiæ sunt fundamenta: quibus subrutis etiam ipsa jam eversa est. Igitur id quidem Politicæ est definire, num quæ ad domesticæ societatis salutem requirit Oeconomica; sint in beatâ republ. observanda nec ne: & si sint, num præter hæc etiam alia veniant in vitâ istâ domesticâ commodi publici ergò agenda an non; præterea num in alijs omnibus rebuspubl. illa beatæ domus præcepta locum inveniant nec ne; & quæ alia sunt hujusmodi ad reipublicæ usum spectantia. Simpliciter tamen de felici domus statu, quis ille, quibusve medijs comparetur, tractare non Politicæ sed Oeconomicæ est disciplinæ. Hinc in Politicis

non

non etiam est, cur operosè agas de ratione feliciter instituendæ domûs; ne quidem est, quare vel ad Aristotelis exemplum in istis te diffundas; sed sufficit, si in solis ijs occuperis, quæ à domo in usum reipublicæ possunt conferri.

ΧΡΗΜΑΤΙΣΤΙΚΗΝ non esse partem Politices, in promptu est colligere ijs rationibus, quibus Aristoteles probat *1.Polit.* non esse eam partem Oeconomicæ. Primo enim ἡ χρηματιστικὴ cum pro fine habeat opes, quælibet autem ars quasi in infinitum quærat finem suum, opes quoque hæc sine fine & modo studet acquirere. Respublica verò non in alium usum opes desiderat, quàm ut sint instrumenta agendarum rerum; atque ita neutiquam pro scopo eas habet, sed expetit eas ut instrumenta. Id quod autem toto fine abit à fine Politicæ, & à reipublicæ desiderijs, id Politicæ pars esse nequit. Deinde quamcunque artem acquirendarum opum respexeris (sunt enim multæ species τῆς χρηματιστικῆς, *aliæ naturales magis*, ut rusticæ & metallicæ; *aliæ magis artificiales*, ut omnis generis mercatoriæ & usurariæ; *aliæ sordidiores*, in quibus corporis labores locantur) habet illarum quæque locum suum etiam extra civitatem; adeoque nulla species τῆς χρηματιστικῆς primò ac per sese reip. est domestica. Ad hoc nonnullæ artes χρηματιστικαὶ, vel optimæ reipublicæ vel aliquibus reipubl. alijs speciebus, potius obesse videntur quam prodesse: itaque saltem hæ non fuerint partes Politicæ; & per consequens ἡ χρηματιστικὴ in universùm pars ejus censeri non debet.

Fieri tamen non potest, ut respublica sit salva sine opibus, eòque nec sine artibus opum quærendarum. Omninò igitur Politicæ etiam est scire, quantum quæque

istarum artium reip. vel omni vel alicui possit inservire; ac proinde præscribere, quænam illarum cum publicè tum privatim sit usurpanda. Ipsas artes uti teneat Politicus, necessum non est, si autem teneat fit illud per accidens. Et vero (ut Aristotelis verba faciã mea) *dubitaverit quis, cur Ars quidem rei quærendæ pars sit Politicæ, Ars vero medendi non sit pars. Atqui eos qui in civitate degunt oportet valere non minùs quam vivere*; certe magis ex re est ut sani sint cives, quam in re lauta. *Quia vero aliquo modo quidem est Politici aut reip. præfecti videre quoque de sanitate, aliquo autem modo non sed Medici: sic opes curare est quidem quadamtenus Politicæ, est etiam quadamtenus non, sed artis administræ.* Administra igitur Politicæ est ἡ χρηματιστική.

Cum vero non sit una natura ministrantium artium, uti rectè notat Aristoteles *l. 1. Polit. c. 5.* (nam arti textoriæ ex. gr. ministrat & illa quæ instrumenta textoria conficit, & quæ præparat lanam unde pannum artifex texat) haud difficile porrò intellectu est, ἡ χρηματιστικὴ omnis cujus generis administra sit. Nempe non ejus quæ circa ipsam materiam civitatis (homines enim ipsi materiæ sunt loco,) sed quæ in comparandis vitæ civilis instrumentis occupantur.

ETHICAM sive Moralem doctrinam ab Aristotele esse accensitam Politicæ, clarius videtur quàm ut vocari
1. possit in dubium. Primùm enim disertis verbis non semel id ab illo est pronuntiatum. *1. Eth. Nic. c. 1.* ἡ μὲν ὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις ὖσα. Statim initio Magnorum moralium: *Pars igitur est, uti videtur, & principium Politices illa quæ de moribus est tractatio, & in totum jure mihi videtur omnis hæc disputatio non Ethica sed Politica appellanda.* Similiter 1. Rhetor. c. 4. Ethica nuncupatur ἡ περὶ τὰ ἤθη πα-

ἤθη πολιτική. Huc ſpectat, quod auditorem Moralis doctrinæ appellet *ἀκροατὴν τῆς πολιτικῆς*.

Non tantùm verò loquitur ita Ariſtoteles, ſed hanc ipſam ſententiam conatus eſt rationibus oſtendere. Ex profeſſo enim *1. Nicom. c. 1.* quæſtionem hanc in medium proponit, cujusnam ſit Scientiæ ac Facultatis de ſummo hominis bono agere, reſpondetque: *videtur ejus eſſe quæ maxime principalis maximeq́ eſt architectonica*, cujuſmodi manifeſto eſt Politica. Similiter in limine Magnorū moralium propoſita quæſtione, cujus ſit de moribus agere, cum addidiſſet: *ut ſummatim dicam, videtur non alterius quam Politicæ pars eſſe*; mox ſubjungit rationem, qua id credidit effici poſſe. Non alia de cauſa, jam abſoluta omni de virtutibus & felicitate humana diſputatione, negat tamen *l. 10. Ethic. c. 10.* finem adhuc operi eſſe impoſitum, eòq; Politica cum Ethicis plane connectit. Ea porrò de felicitate humana ab Ariſtotele ſunt affirmata, unde neceſſariò conſequitur, omnem ejus doctrinam unicè ad Politicam pertinere. Sane ſi homini non obtingit felicitas ſua niſi in civitate & per civilia inſtituta, (id quod paſſim ille docet) utique primò & per ſeſe omne iſtud ad civitatem facit, adeoque & tractatio iſthæc Politicæ prorſus eſt domeſtica. 11.

Fatemur igitur omnino, rectius longe ab Averroë perceptam eſſe Ariſtotelis ſententiam, quam ab interpretibus Græcis & Latinis plæriſque; ac proinde Clariſſimos viros Franciſcum Piccolominium *Introductione in Civilem Philoſophiam c. 8. & 9.* Felicem Accorombonum *in commentariis Ethicorum*, Jacobum Mazonium *Præludiorum Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ ſect. 6. c. 2.* Michaëlem Piccartum *delineatione Ariſtotelicæ Philoſophicæ c. 8.* Conradum Horneiū *l. 1.*

Ethic. c. 2. & alios, qui Ethicen faciunt Politicæ partem, ab Aristotelis quidem placitis non discedere; à Montecatino autem iniquè hoc nomine Averroem perstringi. Nec tamen convenire satis Aristotelicæ menti videtur, id quod Averröes ille docuit, *initio Paraphraseos librorum Platonis de republ.* quasi in Ethicis tradantur θεωρητικώτερα in Politicis ea quæ πρακτικώτερα sunt: ac respondere Ethicen doctrinæ de sanitate & ægritudine, illi quam Medici instituunt, Politicam vero isti, quæ docet modum sanitatis vel tuendæ vel restituendæ in integrum. Etenim illa de sanitate & morbis doctrina non est propria Medicæ arti sed Naturali Philosophiæ: (ceu alias ostenditur) Medico acceptante in usum suum quæ à Philosopho sunt demonstrata. Nec apparet, quî illa, quæ ad omne genus virtutum pertinent, magis contemplativa sint iis, quæ ad regimen faciunt civitatis, cum beatitudo hominis non in habitu aut possessione virtutum, sed in earum exercitio tota consistat. Rectius ad Aristotelis mentem dixeris; *in Ethicis agi de summa hominis felicitate simpliciter, in Politicis de adminiculis quæ ad obtinendum summum illud bonum ex civitatis administratione & possunt & necessariò debent proficisci.*

Sed quamvis ea sit Aristotelis sententia, non possumus tamen non cum plærisque ejus interpretibus, alijsq; viris maximis, Moralem Philosophiam, tanquam specie diversam disciplinã, à Civili sejungere: eo nitentes argumento, quod felicitas humana à civili societate non nisi per accidens dependeat, utpote quam detur assequi, non quidem extra omnem societatem (neque enim homini commodum est solitarium vivere) citra tamen societatem civilem. Id quod exemplo vitæ ab ipso Deo primâ humani generis ætate institutæ, jam tum ostendimus.

Et ve-

Et verò quibus probare nititur Aristoteles, hominem naturâ Politicum animal esse, illæ rationes non tam hoc, quàm natum esse hominem societati & benevolentiæ mutuæ, evincunt, si in vim earum inquisiveris. Coijsse autem initio homines perquam multos in civilem coetum, sive alijs per potentiam inferendæ, sive arcendæ aliorum potentium, injuriæ ergò, & historiæ nos docent, & jam observatum est Platoni *lib. 3. de legibus*. Sed & usus docet, ijs maximè de causis homines hodieque in civili societate contineri.

Igitur quæ primò, per se, adeoque simpliciter, faciunt ad felicitatem humanæ vitæ, illa propriè non sunt Politicæ, sed unius Ethicæ: sola autem quæ per accidens, beneficio coetus civilis, eòdem pertinent Politici sunt argumenti. Est nimirum quadamtenus quidem unus idemque finis propositus, & simpliciter humanæ vitæ, & civitati, quadamtenus tamen diversus. Quo simul fit, ut civis boni alia sit virtus seu perfectio, alia viri boni, quod & Aristoteles præclare docuit *3. Polit. c. 3.* Par ratio igitur est Politicæ etiam atque Ehicæ. Qua de re latius disputare non est hujus loci.

Non sunt porrò solutu difficilia argumenta, quibus Aristoteles Ethicam Politicæ conjunxit. Nam in Magnis quidem Moralibus non alia quàm hæc collectio reperitur: in civili societate opus est virtute, ergo quæ de virtute agit doctrina, Politicæ pars est. At in civili societate etiam sanitas, etiam opes necessariæ sunt; fuerit igitur & Medica ars & χρηματιστική partes Politicæ, si firma sit consequentia. Reverà autem nihil probat aliud Syllogismus ille, quàm Politicæ incumbere aliquam virtutis curam. Et sane incumbit illi, ut in bona quidem republica

blica curet per leges & instituta civilia, cùm roborare quod in Ethicis est traditum, tùm vitiorum occasiones, quas civilis vita magno numero suggerit, quoad fieri licet, è medio tollere. Quas virtutes aliæ admittant respublicæ nec ne, itidem ipsi videndum est; neque enim ubivis par virtuti locus conceditur. In Nicomachijs Politicæ asscribitur doctrina de summo hominis bono, prætextu sumpto, quoniam Politice est architectonica aliarum artium, ad maxime architectonicam autem spectet agere de supremo omnium fine. Verùm est quidem Politice architectonica artium omnium, attamen non nisi respectu usus civilis; simpliciter enim dignitatem hanc potius ad Ethicam pertinere dixerimus.

CAPVT VI.

Prudentiam civilem non esse peritiam aliquam mere experimentalem: neque solam experientiam satis esse sive ad scientiam sive ad usum civilium rerum.

PRoximè limites definivimus Politicæ, ultra quos citraque quicquid est, id ab hac methodo est alienum. Consequens est, ut investigemus quæ & qualis cognitio eorum quæ Politicæ diximus esse propria, queat comparari. Multiplex videlicet est humanæ cognitionis varietas. Et quidem alia non nisi sensu & experientia, alia beneficio ratiocinationis acquiritur: iterum alia certa est omnem erroris metum excludens, alia incertior, constans duntaxat quadam verisimilitudine: porrò alia tantum quid sit res, alia simul & propter quid perspectum habet. Est vero haud leve sententiarum dissidium, cujus generis sit Politica prudentia. Sed & multum refert, accurate istæc cognoscere; ne vel frustra despires

ſpires ad ſubtilem quandam doctrinæ acrimoniam, vel inutiliter hæreas in craſſo rudimento.

Principiò igitur videndum, an omnis peritia civilis ſola experientiâ comparetur nec ne. Prius ſane videtur vulgo plærisque placere. Etenim vulgo reſpublica plærumque committitur ijs, qui experientiam aliquam duntaxat habent rerum civilium. Cum velint autem omnes indubiè ijs qui periti cenſentur rempublicam committere, apparet utique, plæriſque videri, Politicam eſſe Empiricam aliquam ſcientiam. Non videntur autem & in eruditorum ordine nonnulli multum diſſentire. Quotquot ſane Prudentiam civilem uſu & memoria duntaxat parari exiſtimant, diſſentire non debent ſi ſuam velint theſin defendere. Vſum enim deſcribunt cum Lipſio l. 1. civ. prud. cap. 8, *notitiam humanarum rerum ex viſu vel tractatu*: Memoriam *notitiam ſimilem ex auditu vel lectu*. Eſt autem utraque notitia mere Empirica; tantum quod illa propriæ, hæc alienæ experientiæ innitatur.

Cum placeat verò iſtæc ſententia, & plæriſque vulgi, & doctis quammultis, jam tum manifeſtum eſt, eam ſi non veram, ſaltem per eſſe veriſimilem: pleriſque enim vulgi & doctorum multis placere, id vero eſt eſſe veriſimile.

Videtur autem eadem confirmari etiam experimento quotidiano omnium gentium & ſeculorum. Homines enim uſu tantùm & experientia inſtructos videre eſt optime conſulere reipublicæ; quod tamen non facerent niſi ijdem civilium rerum tenerent ſcientiam. Nec vero aliter edocti ſunt, etiam qui inter Græcos & Romanos olim prudentiæ dotibus inclaruerunt. Sane non Themiſtoclis, non Miltiadis, non multorum aliorum magiſtros prudentiæ laudant hiſtoriæ: haud temere taciturætanti I.

boni autores. Imo solâ hâc Empirica eos notitia fuisse imbutos, ipsemet Aristoteles fine operis Nicomachij probat illo signo, quod prudentiam ad alios docendo transmittere non potuerint; docturi scilicet indubie alios, saltem amicos & liberos suos, si potuissent, cum in nullo alio par potuerit præstari beneficium, & acquisitæ veræ scientiæ signum sit, posse id quod tenes alios docere.
II. re. Ostendit porro usus, illorum quammultos qui aliam aliquam præter hanc Empiricam prudentiam sibi acquisiverunt, nihil Empiricis istis præstare; haud paucos publici otij turbatores esse, & civitatum eversores potius, quàm solertes rerum administros. Quod videtur esse argumento, quam isti existimant prudentiam non nisi ejus simulacrum aliquod esse: jure enim solam illam Empiricam nomen illud augustum promereri.

Cæterum ut clarè pateat veritas, breviter (etsi alieno loco) hic exponendum ante omnia est, quid reapse sit Experientia. Habet autem sese hunc in modum. Quæcunque sensuum aliquo percipiuntur illa singularia sunt: intellectus ex diverso singulare nihil percipit, sed sola ea quæ abstracta nuncupantur à singulari materie. Si quando ejus quod sensu est acceptum, imago remanet in animo, post factam sensionem, Memoria nascitur. Est enim propriè Memoria, *ἕξις aut possessio quædam τῶν Φαντασμάτων*, sive imaginum sensu acceptarum. Talis Memoria unius ejusdemque rei sæpius iterata dicitur Experientia: quæ proinde & ipsa singularium duntaxat est rerum non universalium. Vt si tu sæpius observaveris Petro febricitanti vini potum malè cessisse, ejus jam experientiam es consecutus; ut tuto pronunciare possis, febricitanti Petro vinum esse noxium: nondum tamen hoc ipso habes com-

compertum, nulli febricitanti vinum convenire. Vti ex multis singularibus experimentis universalem quandam communemq; formes notionem, opus est porro collectione quadam, non multâ tamen &operosâ, sed plerumq; illa simplicissimâ quam inductionem appellitamus. Pernent autem ejusmodi universales notiones, (si propriè quidem loquaris) non amplius ad Experientiam, etsi ex multis sint experimentis elicitæ sed jam sunt exordia ipsarummet artium ac sententiarum. *Exordia*, inquam, sunt, non enim artes ac scientias omni ex parte absolvunt. Ideoque non alio sensu etiam sunt accipienda Aristotelis illa, lib. 1. Metaph. c. 1. *per experientiam ars & scientia hominibus efficitur*: aut illud Poëtæ veteris Afranij in Sapientiam:

Vsus me genuit, mater peperit Memoria.

aut hoc Manilij:

Per varios usus artem experientia fecit.

Et vero ad principia artium scientiarumque ipsemet hæc restrinxit Aristoteles, cum alibi, tum sub finem *l. 2. Analyt. post.*

Multo minus ad experientiam pertinet, ex ejusmodi universalibus notionibus ulterior deductio, etiamsi ad causarum investigationem nondum processeris.

Porro Historicis monumentis vix alia præterquam singularia narrantur, qualia nimirum cognoscuntur sensu atque experientia. Vt enim historia narret universaliora, ex multis experimentis collecta, rarius fit & à paucis est tentatum. Rarissimi certe exempli est Historia Animalium ab Aristotele, Stirpium à Theophrasto, Rerum subterranearum à Georgio Agricolâ conscripta. Quæ ex Historiâ itaque lectâ vel auditâ proxime quidem

oritur cognitio, itidem non diversa est ab ea quæ per experientiam accipitur, nisi quod alienâ narrantium fide nitatur.

Hæc ex Aristotelicis monumentis, cum l. 2. Analyt. posterior. cap. ultimo, tum l. 1. Metaphysicorum capite 1. & libello de Memoria, deprompta, omnem errorem facilè discutiunt. *Primum* enim constat utique, id quod jam supra dictum est, notitiam quandam civilium rerum inveniri, & quidem maximè præclaram, quæ in universalibus occupetur. Cum Experientia igitur hæreat duntaxat in singularibus, manifestum profecto est, potissimam illam rerum civilium scientiam Empiricam non esse. *Adhoc* cum impossibile sit, ut unus aliquis omnium eorum quæ in quavis reip. specie eveniunt, usum & experientiam habeat; ne id quidem fieri potest, ut ex proprijs quidem experimentis, unusquis extruat omnia illa, quæ in communi de republ. qualibet sciri aut dici possunt ab experimentis petita: tantum abest, ut quis possit, ex proprijs experimentis integram hanc prudentiam haurire, aut quod idem est, solo usu omnem illam sibi comparare. Fac enim quem probe versatum esse in regia administrationione, is non eo ipso jam usu didicit, Popularis aut Aristocratici regiminis statum, & tamen omnia hæc scire ex æquo est Politicæ prudentiæ. Historia plus experimentorum civilium quam usus ipse exhibet: eòque inservire etiam ac prodesse magis potest ad exstruendam communem illam prudentiam atque ipsemet usus. Veruntamen quoniam omnis ejusmodi ex histor[i]js collectio nitatur quidem Experientia, non debeatur tamen Experientiæ sed Arti aut Scientiæ, manifestum est, ne quidem illam ex historijs enatam ita peritiam Empiricam meritò vel haberi vel nuncupari debere. Vno

Vno verbo: nulla universalis civilium rerum cognitio verè Empirica est. Ac proinde quotquot eam habent, inquantum habent, Empirici non sunt, sed saltem aliquid civilis scientiæ jam sunt consecuti; adeoque hactenus perperam Empirici audiunt. Plane quemadmodū olim Medicorum illa ab Acrone Agrigentino instituta schola, inique Empiricum nomen affectavit; cum tamen universalia pronunciata jactitaret ex multis experimentis exstructa, imo ab ijs transitum ad similia usu nondum comperta admitterent ipsi sectæ primores; si Celso credimus, evidentes etiam morborum causas ad medendum esse necessarias faterentur.

Et vero quod res ipsa expressit Empiricis illis Medicis, ut confiterentur, dari in negotijs medicis aliquem ad similia nondum usu comprobata progressum: posse itidem causarum morbi sanitatisque aliquam scientiam dari: artem denique facturo necessariam esse saltem aliquam causarum notitiam: id omne in civilibus quoque habere locum, usque est adeo perspicuum, ut negari sine impudentiæ aut inscitiæ nota haud possit. Enimverò id utique constat, etiam de ijs, quorum neque Experientiam, sive usu proprio sive ex historijs, neque Scientiam alicunde sumus assecuti, posse nos rectum consilium dare. Id vero fieri non potest, nisi ratiocinatione quadam, adeoque deductione ignotæ rei ex notis.

Eorum porro quæ in civilibus contingunt, certæ causæ non minus sunt atque naturalium eventuum. Neque enim quidquam fit sine causis, etiam in humanis negotijs. Certe omnes omnino actiones civiles suos fines habent quamobrem fiant, suas causas efficientes, principales & instrumentales, materiam item suam circa

quam versentur: in eo vero, quod fiant quomodo quando & ubi oportet, forma sive essentia earum civilis consistit. Jam vero non ita abditæ sunt causæ illæ ut humani ingenij vim effugiant. Imò à prudentissimis nonnullis auctoribus pleraque horum, si non omnia, jam tum literarum monumentis sunt prodita. Certe quo quis est prudentior eò magis perspectas habet civilium rerum causas.

Ad res denique feliciter gerendas plurimùm prodesse, imo per esse necessariam, causarum notitiam, cum usus docet, tum per se clarum est. Qui enim possis reipublicæ salutares leges præscribere, nisi teneas quæ causæ rempublicam conservent? quî possis mala averruncare, nisi itidem scias, quid sit quod rempublicam perdit, & quare perdere soleat? Sane quo minus causas illas habes perspectas, eo minus licet tibi reipublicæ consulere.

Huic sententiæ tamen videtur haud parum refragari id quòd Aristoteles observavit de experientia; quippe qui in hæc verba non dubitavit loqui l. 1 Metaph. 1. *Ad agendum nil videtur Experientia differre ab Arte: quin imo videmus Expertos magis id quod intendunt consequi, quam illos qui rationem absque Experientia tenent. Causa vero hujus est, quod Experientia singularium Ars autem universalium cognitio est. Actiones autem ac generationes omnes circa singulare sunt. Non enim hominem nisi per accidens sanat qui medetur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum qui sic dicuntur, cui accedit homini esse. Si quis itaque rationem absque Experientia teneat, & universale quidem cognoscat, quod autem sub eo particulare est ignoret, sæpenumero errabit à sanando. Id enim magis sanabile est quod singulare est.* Hæc omnia Aristoteles.

Sunt autem omninò dextrè hæc accipienda, alioqui

quin minime veritati consentiunt. Fatemur scilicet nos etiam, actionem omnem in singulari opere versari, eòq; necessarium esse, ut quisquis opus aliquod studet efficere, sensu atque experientiâ isthæc quæ ad opus requiruntur habeat cognita; ac proinde, qui tantùm in communi illa tenet, particulatim autem ignorat, eum ad rem istam agendam minimè idoneum, adeoque hactenus quidem Experientiam Arti ac Scientiæ præferendam esse. Revera tamen is qui sola est Experientiâ instructus, nihil aliud potest, quam quod est expertus. Itaque non nisi paucissimis agendis est aptus, & nihil valet si quid novi agendum veniat. Jam verò in vita civili plurima occurrunt & pervaria, sæpe & inopinatò accidunt quæ antehac nunquam contigerant, quædam antehac usitata præstat mutare. Itaque etsi ad quædam opera peragenda is qui Experientia instructus est sufficiat, simpliciter tamen toti reip. curandæ non est par, neque licet illi rempublicam omnem tutò committere. Vt proinde ad res agendas multùm intersit inter Experientiam & Artem: etsi aliqua ratione intersit nihil, & Experientia ipsi Arti sit præferenda.

Hisce sic expositis facile jam est, quæ initio pro Empirica civilium rerum peritiâ producta sunt, confutare. *Primùm* enim qui res præclare gerunt in republicâ, illi, tametsi usu tantum valere credantur, non tamen revera usu solo & experientia sunt instructi, sed quidam eorum ingenij beneficio, ex usu compertis, etsi non scientiam Civilem integram, aliquid tamen ejus, quantum ad res quasdam agendas satis est, didicerunt. Enimvero quotquot tali laude præ alijs commendantur, celeritate ingenij solent eminere: quâ qui pollent, Artes & Scientias pro- Ad I.

prio,

prio, quod ajunt, Marte condere idonei sunt. Sanè Græcæ Romanæque gentis illustria lumina, quàm præclaris ingenij dotibus fuerint præditi, loquuntur monumenta.

Non sane à solo usu proficisci, eam quæ in viris magnis, nulla tamen doctrina imbutis, civilium est rerum peritia, argumento illud est, quod hi subinde multa agant, & quidem prudenter agant, quorum experientiam sibi ante non comparaverunt. Talibus igitur quando respublica concreditur, non meris Empiricis illa committitur, sed artificibus, imperfectioribus tamen, propriaque duntaxat industriâ Artem edoctis.

Nec vero etsi docere alios nequeant, destituuntur illi omni scientia. Vt enim doceas necessum est, & Scientiam integram teneas, & ipsam docendi viam: hos vero neque nos dixerimus Scientiam civilem integram sibi parasse, aut docendi rationem calluisse.

Fatemur præterea, solo usu civilium rerum qui sunt instructi, illos rectè præfici posse nonnullis negotijs in quibus sunt exercitati: minime tamen hinc sequitur, omni civili Prudentia eosdem instructos esse, aut rempublicam omnem committi ijs posse.

Obiter hic observari meretur: non fortassis omnes illos veteribus à prudentia laudatos viros nullâ fuisse doctrina institutos. De Themistocle sane id negat Socrates apud Xenophontem *l. 4. Memorab.* addens: *stultum esse existimare, exigui quidem momenti artes absque magistris idoneis percipi à studiosis haud posse, cum imperio autem civitati præesse, fortuitò valere homines, cum tamen opus sit omnium maximum.* Sed fortasse non quod ita reverà sentiret, id dictum est à Socrate, sed ut excitaret Eythidemum; ceu innuit

auit ipse Xenophon. Licetque proinde Thucydidi secure fidem habere, omnem viri illius prudentiam solius ingenij nativis viribus attribuenti. *Illum enim fuisse Themistoclem qui quàm maximè indicaret, quantum natura valeat: dignus ipse quem quodammodo supra modum ob naturæ præstantiam magis atq; alium quem miremur*: quomodo Thucydidem Latine loqui fecit Joannes Caselius. Quicquid vero sit de Themistocle; alijs nonnullis, ut Pericli, Epaminondæ, & Scipioni Africano utrique, & Ciceroni, & Cæsari, & Pompejo, non defuisse magistros, notissimum est.

Quod in *Altero argumento* objicitur, nihilo præstare Empiricis eos, qui creduntur scientiam Politicam didicisse, id profecto à vero alienum est. Nec enim nisi in paucis, ijsque usitatis, in ætate item jam senili, quicquam hi possunt: è contrario alteri illi ad quævis promiscue reipublicæ negotia sunt apti, idque ætate adhuc integra. Quod aliorum nonnulli itidem aliquid ultra usitata possint præstare, non id usui & experientiæ, sed ingenij dotibus, & per consequens Scientiæ vel Arti acceptum est ferendum: supplente nimirum doctrinæ defectum ingenij nativo acumine. Ad II.

Eorum qui doctrina Politica instituti sunt, si qui minus rectè se gerunt, non id doctrinæ illius vitio contingit. Ne quid enim dicam, quod multi didicisse credantur id quod nequaquam didicerunt; in ijs quæ speciem quidem Politicæ mentiuntur versati, ipsam vero hanc prudentiam planè ignorantes. Observandum est, esse haud paucos, qui doctrinâ oretenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt: nec satis esse ad bene agendum, scire quid expediat, sed præterea requiri & bene agendi voluntatem: quâ interdum carere rerum civilium etiam maxime gnaros, neque nos diffitemur. Ad III.

CAPUT VII.

Civilium rerum certam peritiam aliquam posse accipi, idq; demonstrativis ratiocinationibus; etsi illæ non sint demonstrationes primi ordinis atq; omnium exactissimæ.

CIvilium rerum exactã cognitionem, etsi illa innitatur usui & experientiæ, tamen non usu sed mentis ratiocinatione comparari, fecimus perspicuum. Nunc porro est videndum, quam illa certa sit aut lubrica, eaque num demonstratione admittat, & si admittit quales illæ sint, cum demonstrationũ omnium non æque exacta sit ratio.

Ac demonstrationibus quidem nullum hic locum esse, passim recepta sententia est. Enimvero plerosque argumenti Politici scriptores, oratorijs videre est rationibus omnia probare. Philosophi quoque vulgò ipsi demonstrationes omnes ut artibus, ita & huic methodo circa res agendas occupatæ, abjudicant.

Neque id videntur facere abs ratione. Civiles nimirum res fluxæ sunt atque instabiles, utpote quæ ab humano arbitrio imò à fortuna dependeant. Rerum autem incertarum nulla certa datur scientia: eòque nec demonstratio; quippe quæ est syllogismus ἐπιστημονικὸς, & cum ex necessarijs præmissis constat, tum circa sola ea quæ non aliter atque aliter sese habent, aut habere sese possunt, occupatur. Econtrario illa est vita omnis humana, ut jam olim non dubitaverit ipsemet Theophrastus, longo rerum usu edoctus, probare illud:

Τύχη τὰ θνητῶν πράγματα οὐκ εὐβουλία

Unde expressum illud Latinum proverbium: *Vitam regit fortuna non sapientia.* Ut quod ille in Fabula de amore id meritò de republica pronunciaveris: *quæ res neq; con-*

silium-

filium neq; modum habet ullum, eam consilio regere non potes. In republica hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursus. Incerta hæc si tu postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Quamvis autem hæc speciose dicantur aganturque magnis autoribus, multùm tamen absunt à vero. Nec enim probari debet illa quæ passim a plerisque instituitur civilis doctrinæ rudis & oratoria tractatio. Sane ad vulgus quidem Rethorica illa per sunt utilia, imo necessaria: (nec enim alijs argumentis quam illis in vulgo receptis ἐπιχειρήμασι pertraxeris populum aut alium aliquem indoctiorem in sententiam tuam, aut illi quod reip. expedit persuaseris) attamen cum Rhetorica argumenta laborent plerumque incertitudine, & veritati raro sint omni ex parte consentanea, ac proin nihil certæ veritatis doceant; Oratoriæ etiam nihil sit prius quam persuadere, quibuscunque tandem id fiat modis; contrà vero rerum civilium omnino detur certa aliqua cognitio; non profecto illi rite funguntur officio doctorum, qui doctrinam omnem Politicam Oratorijs declamationibus expedire annituntur.

Philosophos nostri temporis quàmmultos Politicæ doctrinæ vim demonstrationum detrahere, non est mirũ, cum iidem ita differant de demonstratione omni, quasi illa pene nusquam habeat locũ, ineptos interim parologismos loco demonstrationum ostentantes. Enimvero & in Mathematicis disciplinis, & in Physicis, & in Metaphysicis, eorundem quammulti negant hodie demonstrationes reperiri. Quod cùm ab omni veterum Philosophia alienissimum, ac manifesto sit indicio, eos minus recte Ana-

læticam doctrinam callere, non eſt proinde quod eorum autoritate terreamur. Et vero Ariſtotelem aliter ſenſiſſe olim, vel inde apparet: quod opus ſuum Politicum voluerit ἀκροαματικὸν cenſeri, libri autem ἀκροαματικοὶ fuerint ἀποδεικτικοὶ, ut alibi oſtendimus. Recentiores qui rectam ſententiam tenuerunt hic laudare, nihil attinet.

Levia porro ſunt, quibus vulgo adducuntur nonnulli, ſiniſtre adeo de Civili doctrina arbitrari. Res civiles enim ita fluxas eſſe & lubricas, quaſi omni careant certitudine, non eſt profectò veritati conſentaneum. Habent ſ. ſe illæ non aliter atque res naturales, & illæ circa quas occupantur Artes: quæ ſcilicet etiam ipſæ obnoxiæ ſunt mutationibus & viciſſitudinibus, & tamen perpetuam certamque habent veritatem. Scilicet ſingulæ res inquantum tales fluxæ quidem ſunt, ac proin nihil de ijs ſciri poteſt quod perpetuò ſit verum; at eædem in communi, & quatenus generum ſpecierumque naturam habent, ſtabiles ſunt atque æternæ. Nec enim etſi ex arbitrio gerantur res humanæ, omni illæ ex parte meri arbitrij noſtri ſunt. Namque & illa ex arbitrio geſta habent effectus certos, nec amplius in arbitrio noſtro collocatos. Perinde ac humani quidem eſt arbitrij cor gladio transfodere nec ne, mors tamen neceſſariò conſequitur ſi id feceris. Ita ſane & diſſidium excitatur in rep. ſponte quidem noſtra; neceſſario autem multa hinc mala naſcuntur, quæ non æque amplius noſtræ ſunt poteſtatis; quorum proin neceſſaria & perpetua dari ſcientia poteſt.

Ita præterea fortuita eſſe rerump. negotia, quaſi non ſapientiam, non rationem, non conſilium admittant, uſu profecto quotidiano confutatur. Longe ſane alia ille perſuadet, propeque facit credere illud:

Nullum

Nullum Numen abest si sit prudentia: sed nos
Te facimus Fortuna deam cæloq; locamus.

Theophrastus sane videtur tantum notare voluisse dicto suo imprudentiam plerorumque hominum: quâ fit, ut non tam ratione, quam forte fortuna id quod sibi commodum est assequantur Fortassis etiam respexit ad ea, quæ in republicâ singulari fato fiunt. Qualia sæpenumero contingere, neminem potest latere, qui paulò accuratius in res civiles intuetur. Perperam verò illa Theophrastus fortunæ tribuit, cum divinæ essent providentiæ ascribenda. Et tametsi illa regere non sit omninò virium humanarum, tamen prudentia etiam hic vim suam aliquam retinet: cum ut precibus flectas Numen ejusque iram depreceris, tum ut mala cœlitus immissa modereris nonnihil, perinde ut tempestatem prudens nauta. Qua de re aliàs commodior dicendi locus est.

Tantùm abest igitur, ut istis quidem argumentis evinci possit, Civilium rerum certam nullam scientiam atque demonstrationem dari: ut invertere illa liceat, & ex ijs contrarium liquidò ostendere. Etenim quæcunque pertinent ad rerump. constitutionem, salutem, & corruptionem, illa non habere sese possunt diversimode, tanquam sint fortuita; adeoq; omni tempore & loco vera & certa sunt. Nec verò hodie Regna, Aristocratiæ, Democratiæ, aliæque rerumpublicarum species, aut alijs vitijs corrumpuntur, aut alijs remedijs conservantur, quam vel factum est olim, vel inposterum futurum est. Illa porrò à nobis cognosci possunt non tantùm quemadmodum fiant, sed & quamobrem. Imo tum demum, vulgi etiam consensu, Prudentes credimur, quando rerum quæ aguntur aut agendæ sunt causas intime cogno-

scimus. Atqui omnis certa cognitio rerum stabilium, Scientiæ utique dignitatem habet. Scire enim dicimur quotiescunque aliquid intelligimus secluso errandi metu, multo magis quando simul causas habemus perspectas.

Talis verò certa cognitio, cum aut inductione ex singularibus, aut demonstratione duntaxat comparetur, inductione vero omnis Civilium rerum peritiâ accipi nequeat, (ceu jam supra probavimus) vel hinc manifestum est, Politicam scientiam demonstrationibus esse acquisitam.

Constat porrò & alias, ex principijs per experimenta constructis de rebus Civilibus plurima doceri: hoc ipsum autem est demonstrare ex principijs proprijs.

Ad hoc probat usus, in Civili etiam doctrinâ, non minus atque in Physicis & Mathematicis, alia probari deductione ad impossibile, alia à signo, alia ab effectu, alia à causa proxima. Vt proinde nulla demonstrationis species in Politicis locum suum non inveniat.

Quamvis autem hæc ita sese habeant, fatemur tamen, non adeo exactam civilium rerum scientiam haberi posse, ut non interdum illa fallat, utque non ejus pronunciata quandoque egeant emendatione. In causa verò est infinita civilium rerum propter circumstantias multitudo & varietas: quam proinde omnem sive animo sive scripto comprehendere ingenij humani captum exsuperat.

Non sola tamen Politice ita est imperfecta, sed commune hoc illi est cum omnibus Artibus, imò cum ipsa Naturali Philosophia. Neque vero nisi in solis Mathematicis disciplinis, earumque duntaxat ijs quæ puræ vocantur, concessa est numeris omnibus absoluta scientia omni-

omnique vacans exceptione; idque quoniam solæ illæ occupantur circa subjectum, quod tanquam abstractum ab omni materialitate, h. e. omni vicissitudine, consideratur, adeoque alijs atque alijs circumstantijs non est obnoxium. Quod ipsum autor α Minoris Methaphysicorum c. 3. (Aristoteles, perperam tamen, vulgo creditus, sive is Pasicrates sive alius quis fuerit) observans scribit: τὴν δὲ ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν, οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον, ἀλλ' ἐν τοῖς μὴ ἔχουσι ὕλην. διόπερ οὐ φυσικὸς ὁ τρόπος, ἅπασα γὰρ ἴσως φύσις ἔχει ὕλην. In eandem sententiam doctissimus Paraphrastes Græcus l. 1. Nicom. c. 3. *Fieri non potest ut in quovis similiter subjecto exquisitissimam inveniamus veritatem. Sed in Mathematicis quidem disciplinis, utpote quæ necessarium & semper sui simile habent subjectum, simplex est veritas, nec quicquam ibi accuratam tractandi rationem impedit subjectum. In reliquis vero, in quibus nec necessaria sunt subjecta, nec eodem semper modo se habent, ea sufficit docendi ratio, quæ ex iis quæ ut plurimum ita se habent aliquid colligit.* Ipsemet Aristoteles eadem de causa lib. 1. Nicom. c. 1. jubet, nos in Politicis contentos esse doctrina, quæ veritatem ostendit non nisi παχυλῶς καὶ τύπῳ, quod ipsum repetit l. 2. ejusdem operis cap. 2.

Deprehenditur idem in Legibus Civilibus: quæ sunt opus aliquod τῆς νομοθετικῆς, adeoque Polítices. Recte enim Julianus JCtus in Digestis tit. de Legibus: *Neque Leges neque SCta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur.* Item: *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut SCtis comprehendi.* Et verò hinc adeo fit, ut ad omnes leges opus sit τῇ ἐπιεικείᾳ aut æquitate, quæ (ut scite definit Aristoteles l. 5. Ethic. c. 10.) est ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου.

Quam

Quam rem prolixius quidem nonnihil, adeo eleganter tamen & perspicue illustravit Ethici operis Paraphrastes Græcus, quem modò laudabamus, ut sit pretium operæ doctrinam ejus integram huc afferre, ex lib. 5. c. 16. *Hujus vero emendationis* (quæ fit per ἐπιείκειαν) *causa hæc est, quod universaliter pronuntiet lex omnis: quibusdam autem singularibus secundum rectam rationem accommodari hoc non possit. Quia ut definitum quid lex est, ita definitum quid respicit; indefinita autem sunt nec uno modo se habent singularia. Vt e. gr. Lex jubet in genere, omnem peregrinum qui muros adscendit, mori. Forte fortuna aliquis adscendit, qui egregium virtutis documentum dedit. Si ergo Legem hanc illi qui rem gessit strenue accommodemus, atq; interficiamus hominem, præter rectam rationem & id quod justum est agemus. Eodemq; modo in multis habet aliis. Nec tamen hoc erratum sive in Lege, sive in Legislatore est, sed in ipsa negotiorum natura. Etenim Legislator (quia impossibile est singulare omne comprehendere & quæ numero sunt infinita) id, quod ut plurimum fit, sumit, eoq; respiciens fert Legem. Neq; propterea quod vitium tale ignoret Legislator, nihil definivit in Lege: sed quia fieri non potest, ut negotiorum natura definitione circumscribatur, aliter illis atq; aliter se habentibus. Indefinita enim rerum agendarum est materia, multasq; patitur mutationes. Ideoq; illa quæ ut plurimùm accidunt, Legislatores respiciunt. Etenim ut peregrinus aliquis belli tempore muros ascendat, atq; ex iis belli tempore ferat suppetias, rarò evenit: sæpius vero ut in detrimentum urbis ascendat. Cum ergo necessario sit sciendum, quo pacto ejusmodi sint servandæ leges, præterea quando, & in quibus: oportet quoque habitum dari aliquem, quo emendari errata ejusmodi possint. Talis vero est Æquitas qua defectus Legis suppletur, & quod erratum est corrigitur, novaque definitio, quam prætermisit illa; quod singularia omnia haud noverit,*

verit, adjicitur. Dicet enim vir æquus, omnem qui ascendat peregrinum mori debere si insidiandi animo hoc fecerit; si bene rem gesserit, non modo conservari, sed & præmiis affici debere. Quæ eadem & Legislator dixisset, si fuisset præsens: aut si hoc ipsum prævidisset, tulisset ejusmodi legem. Hæc omnia ille Paraphrastes.

Ut Leges autem per ἐπιείκειαν, ita reliqua omnis Civilis scientia itidem corrigenda subinde est prudentiâ quadam particulari, quæ circa singularia occupatur: oportetque proinde illos, qui in civilibus negotiis versantur, πρὸς τὸν καιρὸν σκοπεῖν, quemadmodum fit in Arte medica & nautica, ceu recte monet Aristoteles *l. 2. Ethic. c. 2.*

Licet vero ita laboret Politice, assequitur tamen quidnam in rebus civilibus plerumque contingat, ita ut exceptioni non nisi rarò locus concedatur; atque hoc ipso dignam sese præstat Scientiæ titulo.

Sane si hoc nomine velis privare omnem ejusmodi cognitionem, profecto humanæ sortis parum fueris gnarus, & præter Mathematica nihil pene sciri posse necessum est fatearis. Id quod tamen dictu est absurdum. Certe communi omnium consensu Scientiæ nomen, non exactissimæ tantum, sed & huic minus perfectæ cognitioni attribuitur. Unde & Aristoteles 6. Metaph. *Omnis*, inquit, *scientia ejus est quod aut est semper, aut utplurimum*: Et lib. 1. Analyt. Poster. c. 24. scribit: *demonstrationem confieri ex iis quæ omni sunt ex parte necessaria aut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.* Et vero si teneas quid plerumque eveniat, in iis quæ rarissimè ab eo deviant homo intelligens facile perspicit, quid agendum veniat. Neque enim isthac in re magna esse difficultas potest; nævum unius scientiæ aliarum rerum pleniore peritiâ quasi sponte suâ emendante.

Notandum vero est quod diximus, mereri Scientiæ nomen illam cognitionem, quæ ut plurimum rebus est consentanea, ita ut non nisi raro occurrat quod fuerit præter visum. Fatemur nimirum & nos, indignũ te esse illo titulo, si ea duntaxat noveris quæ raro & infrequentius contingunt. Si eadem habeas perinde ac si plerumque eveniant, etiam erras. Quamvis sua laude privandus non sis, si quæ raro contingunt ex merito suo æstimés, h. e. in numero habeas eorum quæ raro occurrunt. Non sane illa, quæ etiam discedunt ab eo quod plerumque fit, in demonstrativo aliquo syllogismo civilium rerum locum inveniunt. Recte enim Galenus l. 4. de ratione victus in morbis acutis: *Omnis doctrina ex universalibus recipit incrementum: quæ si perpetua fuerint, primam habent utilitatem: si vero magna ex parte, secundam; quod si anceps quippiam vel ratum fuerit, id ad doctrinam inutile censendum est.* Certe nullum ex ratis illis eventis construi præceptum potest, quod reip. sit utile. Eòque verum est quod dixit JCtus Celsus: *Ex his quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.* Recte etiam Pomponius probavit illud Theophrasti: *jura constitui oportere in his quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt non quæ ἐκ παραλόγου.*

CAPUT IIX.

Quo nomine certa Civilium rerum cognitio debeat appellari; qua item dignitate æstimari.

RErum civilium certam & qualis demonstratione comparatur notitiam dari, secus quàm multis vulgò est persvasum, firmis nisi fallor argumentis constituimus. Ea vero res jubet nos deinceps statim inquirere, paucis tamen, quale nam ergo nomen & quem dignitatis gradum cognitio isthæc commereatur. Tan-

Tantum quinque ſcilicet numerantur, Ariſtotele quidem autore, mentis noſtræ habitus, qui certam rerum veritatem percipiant: Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars, & quem νοῦν Græci Interpretes Latini Intellectum appellant: neque eſt quare nos, idem qui valeant, plures habitus mentis numeremus. Quamvis vero apud ſcriptores paſſim hæ voces non ſemper eodem ſenſu accipiantur, adeoque ſæpius altera pro altera, ſive per imperitiam ſive ex vulgi conſuetudine, ſoleat poni, nos tamen nunc ſequimur accuratiorem illam doctrinam quam hac de re inſtituit Ariſtoteles *l.6. Eth. Nicom.* Et vero Ariſtoteli utique fuit conſilium, iſthoc loci accurate iſta tractare: eòque ſemper alibi, & in ipſis Metaphyſicis, ſolet nos hoc in argumento rejicere ad hunc locum. Igitur extra controverſiam nunc collocabimus, quas ibi ſignificationes vocibus illis Ariſtoteles adſcribit, eas maximè eſſe genuinas: ut eò expeditius liceat nobis definire, cujuſmodi ſit mentis habitus noſtra illa, qua de agimus, civilium rerum cognitio.

Antequam vero id præſtemus unus alterque error eſt eximendus, quem qui Ariſtotelem volunt videri quam maximè ſectari, ſolent vulgò errare. *Primò* enim creditur, ita hos quinque memoratos habitus inter ſeſe diſtingui, quaſi circa unum idemque objectum nulla ratione occupentur. *Deinde* cum Ariſtoteli Ars ποιητικὴ dicatur, Prudentia πρακτικὴ, πρᾶξις & ποίησις exiſtimantur eo inter ſe differre, quod hæc ſemper opus aliquod ſenſile producat, (Ut ſutoria producit calceum, Architectonica domum,) illa non item.

At vero primum quidem illud Ariſtoteleæ doctrinæ non eſſe conſentaneum, vel inde liquet, quod Sapientiam ex Scientia & Intellectu quaſi componi Ariſtoteles docuerit. Hinc I.

vero omnino eſt conſequens, Scientiam aliquam & Intellectum verſari circa eaſdem res, circa quas & Sapientia verſatur, etſi non viciſſim omnium illarum rerum quarum eſt Scientia vel Intellectus etiam ſit Sapientia.

Liquet vero idem etiam ex eo, quod Ariſtoteles in libris Acroamaticis (ubi quam accuratiſſime loquitur) non ex præſcripto illo vulgi vocabula iſtæc Scientiæ, Prudentiæ, Artis, diſtinctim uſurpet. Statim initio quippe ipſius Ethici operis, memorat ille ἐπιστήμας πρακτικάς: libro 11 Metaphyſ. c. 6. & 7. ἐπιστήμας ποιητικὰς, addito Medicinæ Gymnaſticæ Architectonicæ & Muſicæ exemplo. Lib. 1 Metaphyſ. cap. 1. mentio fit ἐπιστημῶν ad vitam utilium, quæ ipſæ ibidem mox Artes appellantur: imo diſerte ſcribitur, τὴν τέχνην τῆς ἐμπειρίας οἰόμεθα μᾶλλον ἐπιστήμην εἶναι. Libro 1 Polit. cap. 4. memorantur ἐπιστῆμαι δουλικαὶ, item ἐπιστήμη δεσποτικὴ quæ ſit χρηστικὴ δούλων. Libro 2. Polit. c. 6. ubi dictum fuiſſet, profuiſſe nonnullis ſcientiis antiquorum inſtitutorum mutationem, additur pro exemplo οἷον ἰατρικὴ καὶ γυμναστικὴ καὶ ὅλως αἱ τέχναι πᾶσαι. Lib. 8. Polit. c. 6. fit mentio ἐπιστήμης χειρουργικῆς, ut 2. Eudemiorum c. 3. πράξεως ἐπιστημονικῆς. Mitto alia Ariſtotelis loca, quæ paſſim reperiuntur haud pauca.

Non eſt vero quod dicas, Ariſtotelem minus ibi exacte locutum eſſe. Utique enim debuit ille in Acroamaticis loqui quàm accuratiſſime. Hîc itaque prætextus eſt reapſe Ariſtotelis accuſatio, illaque cum ejus injuriâ conjuncta. Et vero libro 1 Metaphyſ ſtatim atque Artes ſcientiæ nomine appellaſſet ſubjungit: *Dictum autem in Moralibus eſt, quænam ſit Artis & Scientiæ differentia.* Unde liquet, ſaltem tum Ariſtoteli in mente fuiſſe definitiones Artis & Scientiæ in Ethicis propoſitas.

Eam porro in Ethicis & Analyticis alibique Scientiæ definitio-

finitionem tradit Aristoteles, quasi cognitio demonstrativa omnis debeat Scientia appellari. Jam vero possunt & Artium & Prudentiæ præcepta universalia demonstratione cognosci.

Nec obstat, quod Scientia secundum Aristotelem circa theoretica versetur. Nam & universalia illa præcepta Artium & Prudentiæ, inquantum talia, theoretica sunt, πρακτικὰ autem aut ποιητικὰ demum censentur quatenus singularibus operationibus moderantur.

Similiter & alterum illud arbitramur non esse Aristotelicæ doctrinæ consentaneum: quantumvis Aristotelem ita acceperit etiam Alexander, (sive quis alius est Græcus Metaphysicorum interpres, cujus versionem Latinam publicavit Johannes Sepulveda,) *l. 6. metaphys. num. 2. lib. 11. num. 25.* ut & Eustratius *l. 6 Ethic. c. 5.* Imo quamvis alijs jam olim ita visum fuisse, liqueat ex Quintiliani *l. 2. Instit. cap. 19. Primo* enim certum est, nusquam id disertis quidem verbis ab Aristotele doceri, quod fieri tamen omnino debuisset in Ethicis, hoc est loco proprio. *Deinde* ubique Aristoteles non alias artes agnoscit quàm ποιητικὰς, & tamen passim hoc nomine dignatur eas, quæ nequaquam *operis, quod oculis subjicitur, consummatione finem accipiunt;* prout tamen loqui amabat Fabius. Ita Aristoteli passim artes audiunt: Musicæ omnes, inque iis Citharistrica, Orchestrica, item Dialectica, Rhetorica, Medica, Gymnastica: quarum nullum opus est sensibile, nisi per accidens; ut oratio scripta opus est Rhetoricæ. II.

Quod usque adeo clarum est, ut Alexander, Eustrathius & alii, coacti fuerint artes quasdam practicas agnoscere. Non tamen ad mentem Aristotelis: utpote qui simpliciter Artem definiverit ἕξιν ποιητικήν. Disertis porro verbis de praxi pronuntiat Aristoteles, non illam propter seipsam esse, sed

interdum ob finem quendam alienum *lib. 6. Nicomach. cap. 5.* τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἀεί. quæ totidem verbis reperias *lib. 5. Eudemiorum c. 5.*

Sic igitur sese res habet. Scientia non tantùm circa merè theoretica, sed & circa ποιητικὰ & πρακτικὰ simul cum Arte & Prudentia versatur. Eoque fit, ut cognitio aliqua nunc Scientia sit, nunc Ars aut Prudentia. Aliter tamen Scientia aliter Ars & Prudentia circa subjectum occupantur. Scientia enim consistit in nuda cognitione æternæ veritatis, cùm aliorum, tùm eorum etiam, quæ aut agi aut effici possunt, adeoque quatenus & illa sunt aliquo modo theoretica. Artis verò & Prudentiæ officium est, videre quemadmodum illa sive πράξει sive ποιήσει quadam singulari in effectū possint deduci. Hinc Ars & Prudentia ñorunt quidem universalia, norunt vero potissimū tanquam principia operationum: Scientiæ autem illa magis conclusionum sunt loco, ex principiis nimirum propriis & indemonstrabilibus demonstrata.

Et vero tum Prudentia tum Ars quam maximè circa particularia occupantur, ut præclare docet Aristoteles in Ethicis: etsi præcepta artis & prudentiæ sint universalia. Hoc ipsum vidit Joan. Baptista Montanus Philosophus non minus quam Medicus doctissimus: qui proinde ad cap. 2 Fen. 1. l. 1. Canonis Avicennæ ita est locutus: *Ars dupliciter considerari potest: uno modo ut versatur circa materiam & subjectum extrinsecum, circa quod operatur: altero ut versatur circa universalia & rationem faciendi. Priori modo Medicina est Ars, posteriori Scientia. Respectu Platonis vel Socratis quem curare debet, Medicina est Ars: respectu vero artificis, ut ipse mederi novit in mente, est Scientia.*

Hoc observato, patet simul, minus rectè sentire, qui omne problema Euclideum Artem esse pronuntiant, non Scientiam.

Etsi

Etsi enim problemata illa effici aliquid postulent, quoniam tamen illa effectio non pertingit ad aliquod opus singulare, hinc Problemata non minus quàm Theoremata ad scientiam mathematicam pertinent, & per consequens unà cum theorematibus locum suum in methodis mathematicis inveniunt, secus quam fieret si problemata artes essent.

Differentiam πράξεως & ποιήσεως porro quod attinet, videtur illa potissimũ in eo collocari, quod praxis maxime proprie ita dicta sit summi boni humani, ποίησις vero singularis alicujus usus gratia instituta operatio. Hinc sanè fit, ut operationes virtutum sint πράξεις: & quoniam in talibus operationibus practicis plærisque ipsa consistit felicitas, πράξεις etiam plæraque non alieni finis ergo ineantur, sed earum paucæ tantum: quæ scilicet non proximè quidem ex virtute fluunt, juvant tamen ad virtutem comparandam vel auxiliandam ornandamque. Ex adverso non potest non ποίησις quælibet respicere finem à sese distinctum; est scilicet ποίησις effectio operis propter finem alienum. Jam verò fieri utique potest, ut una aliqua operatio nunc summi boni, nunc particularis commodi causa exerceatur; ceu in bello subit pericula miles, alius lucri, alius reipubl. causa, quorum hic πρᾶξιν alter autem lucrum efficit. Hinc adeò fit, ut eadem quodammodo operatio & πρᾶξις & ποίησις sit, pro diversa finis ratione. Eadem ajo *quodammodo*. Accurate enim si loquaris, revera non est eadem; utpote cum fine distinguantur, fini autem potissimum essentiam suam operatio quæque debeat. Et vero cum summum bonum & particulare aliquod commodum toto genere differant, necessum utique est, tales operationes reverà toto genere differre, prout de omni ποιήσει & praxi Aristoteles etiam pronuntiavit.

Hinc liquet, Artem & Prudentiam, quarum illa circa

τὰς

τὰς ποιήσεις hæc πρᾶξις occupatur, quàm maximè ſcopo differre: fieri tamen interdum poſſe, ut quodammodo Ars & Prudentia unum idemque agat, diverſo licet ſcopo.

Ex hiſce quæ diximus lucem accipit Ariſtotelis doctrina, cum alia tum illa, quam habet *l. 5. Polit. cap. 6.* ubi ingenuum & ad optima quæque educandum juvenem negat in Muſicis inſtituendum eſſe τεχνικῇ παιδείᾳ. Τεχνικὴν δὲ, ait, τίθεμεν τὴν πρὸς τοὺς ἀγῶνας· ἐν ταύτῃ γὰρ ὁ πράττων, οὐ τῆς αὑτοῦ μεταχειρίζεται χάριν ἀρετῆς, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀκουόντων ἡδονῆς καὶ ταύτης φορτικῆς. Verum hæc prolixius docere non patitur inſtituti ratio.

HISCE obiter ita explicatis, Politicam, qua de nos agimus, veram & propriè dictam eſſe SCIENTIAM affirmamus. Quandoquidem verſetur circa ſubjectum non minus perpetuum & conſtans atque ſunt res naturales; demonſtrationes quoque admittat certas ac genuinas; axiomatibus denique aliiſque longo uſu compertis principiis innitatur. Locutus vero ad eum modum Ariſtoteles eſt non ſemel. Etenim initio Nicomachiorum non obſcurè illam appellat ἐπιστήμην ἀρχιτεκτονικήν. Ipſomet *lib. 6.* (ubi quam accuratiſſime voces illas exponit) *cap. 7.* ἐπιστήμην πολιτικὴν memorat diſtinctè ἀπὸ τῆς φρονήσεως. *Lib. 4. etiam Polit. cap. 1.* ſcribit his verbis: τῆς αὐτῆς ἐπιστήμης *eſſe, deſcribere & optimam rempubl. illam quæ maxime eſt ex voto, & illam quæ multis conveniat.* Alia loca adducere non attinet. Omnino vero huc pertinet excuſatio, quam prolixiori de rerumpublicarum differentiis doctrinæ præmittit. *lib. 3. Polit. c. 1.* Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν. *Unumquemque circa methodum ſive doctrinam aliquam philoſophanti, non autem*

tem ad solam operationem spectantem, oportet nihil præter videre & nihil negligere, sive cujuslibet omnino rei veritatem ostendere. Hisce sane verbis apertè significavit, doctrinam Politicam non omni ex parte aut unicè τὴν πρᾶξιν spectare sed habere aliquid θεωρητικὸν, quod tamen in doctrina Politica negligi non debeat, sed accurate tradi. Similiter *lib. 1. Polit. c. 11.* cum de omni arte χρηματιστικῇ prolixe egisset, subjungit: ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς, τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν δεῖ διελθεῖν, πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλευθέραν ἔχει, τὴν δὲ ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν. Unde itidem patet, Theoreticum aliquid occurrere in doctrina Politica, quodque proximê ad τὴν πρᾶξιν non faciat. *Proxime*, inquam. Revera enim etiam istuc facit, non quamvis proximè. Quod enim nullo modo usui civili inservit, non etiam est Politici argumenti.

Si Politica autem Scientiæ nomen jure meretur, patet doctrinam etiam aliquam de Legibus idem haud injuria mereri. Non quamlibet tamen plebeiam, aut illam quæ totam se occupat in legibus unius alicujus singularis republicæ, Romanæ scilicet. Sed generaliorem illam, quæ circa Leges omnium reipublicæ specierum versatur, ut ex ijs quibus par est fontibus & accurata ratione tradatur: cum utiq; sit Politicæ verissimum munus ferre leges, ut supra docuimus. Qui ergo ita loquuntur de Legum peritia quadam, illoque vocabulo eam nuncupant, non loquuntur impropriè: etsi unius Romanæ aut alterius alicujus civitatis jurium peritia nomen illud perquam impropriè mereatur.

Eadem porrò Politica jure censeri etiam PRUDENTIA potest, inquantum cumprimis hac scientia qui est imbutus, redditur aptus reipublicæ gerendæ, adeoque ijs quæ humanæ societati sunt commoda administrandis. Etenim

qui isthæc generalia Politica tenet præcepta, illi non est multum difficile in rem & usum isthæc transferre. Certè nisi isthæc teneat, non poterit omni reipublicæ omnibusq; negotijs rectè consulere; utpote cum præcepta isthæc sint omnis rectæ civilis administrationis principia. Quod si tamen quis illa non possit transferre in usum, is (fateor) non est Prudens. Adeoque revera, ad id ut Prudentiæ nomen commercatur hæc scientia civilis, necessum est accedat illa in singularibus civitatis negotijs versandi & humanis rebus recte consulendi facultas. Optimè Aristoteles *lib. 6. Ethic. c. 8. Prudentia non tantùm est rerum universalium, sed opus est, ut singularia etiam cognoscat. Est enim activa, at actio circa singularia versatur.* Cæterum cum isthæc agendi facultas plerumque adsit, si teneas civilem scientiam, certè facili negotio ab homine intelligente possit addisci: hinc adeò praxeos illius respectu, haud malè etiam & potest pariter & solet universalis isthæc quoque civilium rerum peritia Prudentiæ nomine usurpari. Perinde nimirum, ut consimiles omnes scientiæ τεχνικαὶ simpliciter Artes audiunt, cumprimis ipsamet doctrina Medica artis titulo usurpatur.

Nec tamen universalis hæc peritia est propriè illa Prudentiæ species, quam Aristoteles ἀρχιτεκτονικὴν præ alijs existimat. Id quod tamen multi vulgo arbitrantur; eo decepti, quod Aristoteles reliquas Prudentiæ species *particulares* appellet sæpe laudati *libri 6. Nic. c. 8.* Etenim qua de agit Aristoteles illa νομοθετικὴ est, adeoq; etiam ipsa circa leges singulares ferendas occupatur. Nec vero alia de caussa hæc νομοθετικὴ *Universalior*, aliæ autem species *particulares* Prudentiæ, Aristoteli dicuntur: quam quoniam hæ tantum sive in consilijs, sive in judicijs, adeoque in singularibus nego-

negotijs tantum verſentur, νομοθετικὴ autem vel Legislatoria prudentia in univerſum negotijs civilibus leges præſcribat.

SAPIENTIÆ aut σοφίας nomen, Ariſtotele quidem accuratiſſimo Græcarum vocum cenſore judice, ſcientiæ civili propriè non convenit: audit tamen ita omnis Prudentia cum alijs multis tum ſacris etiam ſcriptoribus. Verum hi eadem voce omnem omnino Philoſophiam comprehendunt, ceu cum alias liquet, tum præcipue de ſacris quidem autoribus manifeſtum eſt ex Salomonis encomio illo quod legitur *1. Reg. 4.* Ut hi proinde σοφίας vocabulo non voluerint diſtinctim ſignificatam ſcientiam omnium nobiliſſimam. Itaque illo quidem apud Hebræos alioſque recepto vocabuli uſu, non prohibetur, quo minus σοφία nuncupetur civilis ſcientia, ceu mox clarius patebit: poſita autem Ariſtotelica vocis interpretatione, vetatur id ipſum, & quidem maximè ideo, quod civiles & in univerſum omnes humanæ res nequaquam ſint eorum quæ à nobis cognoſci poſſunt nobiliſſima, ad illa verò unicè Sapientia ſeſe exporrigat. Quo argumenti genere ipſemet utitur Ariſtoteles *l. 6. Ethic. cap. 7.*

Plato porro in dialogo cui Politico nomen eſt, βασιλικὴν καὶ πολιτικὴν ΤΕΧΝΗΝ agnoſcit. Ariſtoteles quoque *l. 6. Politic. c. 5.* τὸ τεχνάζειν uſurpat de civilibus ſophiſmatibus quæ appellantur. Obſcurius idem *l. 2. Polit. c. 8.* Politicam accenſet Artibus. Porro ſi Ars eſt, quæ opus efficit permanens, videtur quoque & Politica ars eſſe: utpote cum reſpublica non minus ſit opus aliquod permanens atque ſanitas humana, quam effici ab arte Medica omnes conſentiunt. Verum Platonis quidem teſtimonium non eſt quod nos moveat: uſque enim adeo ille abuſus in Dialogo illo eſt voce Artis, ut contemplativas quaſque ſcien-

tias ea comprehenderit:perinde ut à Galeno, Luciano & alijs factum eſt. Ab Ariſtotele autem Artis titulum Politicæ eſſe inditum, *lib.2. Polit.*, non ſane liquet: imo videtur hanc potius ſcientiam ibi appellatam. Nec vero etiam eſt, quare vocem Artis juxta vulgarem definitionem accipiamus: cum in vitio illam cubare paulo ante ſit demonſtratum. E contrario autem indignum eſſe, uti Artis nomine audiat Politica, manifeſtum ex eo eſt, quod ſocietas civilis etſi non omnino, ut nunc tamen plerumque ſunt mores, ad ſummum faciat hominis bonum, artium vero materies longe ſit ignobilior. Quoniam tamen nonnullæ civiles ſocietates nomine magis tales ſunt quam reapſe, eoque non ad illam felicitatem ſummam, ſed ad alia (divitias ſcilicet aut potentiam) referantur, neque bonis ac laudatis medijs ſed fraudibus etiam ac ſceleribus ſtudeant id quod propoſitum habent aſſequi; haud inſcitè fortaſſis Artium nomine tales Politicæ ſcientiæ ſive ſpecies ſive partes appellaveris. Sane ejuſmodi ſunt illa ſophiſmata, de quibus Ariſtoteles τὸ τεχνάζειν uſurpavit, quæque vulgo τέχναι paſſim audiunt.

VERUM de hiſce ſatis. Antea tamen quam hunc locum deſeramus, monet rei affinitas verbo etiam indicare, jurene an injuria Politica Philoſophiæ pars habeatur, & num ſit revera omnium ſcientiarum maximè Architectonica. Ac prius quidem ut brevibus expediamus, ponimus nunc extra controverſiam: Philoſophiam non eſſe, vel quamlibet, vel quarumlibet rerum ſcientiam; ſed eam demum, quæ & certior eſt, & earum rerum, quarũ cognitio animum hominis reddit beatiorẽ. Abſurdum ſcilicet fuerit quamvis rerum ſine diſcrimine licet certiſſimam cognitio-

I.

nem

nem Philoſophiæ titulo donare: utpote cum ita & artes quæq; ſerviles imo ludicræ, inter Philoſophiæ ſpecies fuerint numerandæ. Quo nihil dictu eſt abſurdius. Quo ſenſu autem nos Philoſophiæ vocem intelligendam diximus, eo ſenſu ſemper diſputatū eſt & olim, utrum Phyſica & Mathematica & Logica ſint Philoſophiæ partes. Jam vero, qualia nunc ſunt tempora, fieri vix poteſt ut feliciter homo vivat, niſi accedentibus civilibus inſtitutis. Quandoquidem igitur ea quæ felicitatem humanam juvant, ignorari nequeunt abſque felicitatis humanæ diſpendio: proinde non eſt dubitandum, merito Politicam inter Philoſophiæ partes recenſeri.

Similiter facile eſt expeditu & Alterum: ſi ponamus maximè Architectonicam cognitionem eſſe illam demum, quæ definit, quantum quælibet ſcientia homini conducat, adeoque inquantum & quare ſive omni ſive nonnemini eorum in univerſum quælibet ſit diſcenda. Non eſſe autem Politicæ definire, quid ſimpliciter felicitati humanæ ſed duntaxat quid reipublicæ & civili ſit ſocietati commodum: quippè cum non ſimpliciter ad beatitudinem hujus vitæ opus ſit ſocietate iſta, ſed tantum propter mores, qui nunc paſſim terrarum obtinent, ut alibi demonſtratur. ἀρχιτεκτονικὴ itaque omnium ſcientiarum eſt quidem Politice reſpectu civilis ſocietatis, quandoquidem nulla earum debeat ab illa ſocietate abeſſe. Simpliciter tamen Architectonica omnium non eſt, ſed potius Ethica hanc dignitatem videtur promereri: utpote quæ omnia illa, quæ ad vitæ humanæ pertinent felicitatem proſequatur ſimpliciter ac univerſim. II.

CAPUT IX.

Quemadmodum Experientia cum propria tum aliena inserviat comparandæ civili prudentiæ: Utq. aliena quam optima possit ex historicis monumentis accipi.

QUi limites sint & quæ natura Civilis doctrinæ, hactenus exposuimus. Consequens est ut viam muniamus, quâ ad illam liceat pervenire. Etsi enim jam tum docuerimus, ipsam quidem illam Philosophiam per demonstrationem ex ijs quæ experimento sunt percepta comparari, eâque occasione de utroque illo nonnulla nobis dicta sint; instituti tamen ratio postulat, uti & exactiùs & clariùs isthæc expediantur. Ordine igitur progrediemur, initio ab Experientia facto, utpote quæ ut aliarum artium & scientiarum plerarumque ita & civilis hujus quasi mater est. Nec verò hoc quidem loco docebimus, quid usus & experientia conducat ad id, ut queas præcepta Civilis prudentiæ in rem transferre, & secundum ea reipubl. cuivis consulere, id enim pòst dicendum: nunc tantùm videbimus, quemadmodum Experientiæ beneficio principia Civilis scientiæ quàm commodissimè comparentur.

Ac quousque porrigere quidem sese debeat Experientia omnis Civili scientiæ inserviens, haud difficile est definitu. Quum enim illa unicè suggerat quasi principia omnis civilis doctrinæ, hæc autem versetur circa civitatem & rempubl. non in genere tantùm, verùm etiam circa omnes ejus species harumque affectiones, virtutes, inquam, vitia, salutem & interitum, adeoque & circa leges ac instituta omnium; manifestum est, Experientiam illam in omnibus omnino reipubl. speciebus, earumque casibus, eventis, moribus, & institutis, occupandam esse.

Est

Eſt autem Experientia duplicis ordinis: propria alia, alia aliena. Propria indubiè animum noſtrum quàm maximè reddit certum. Rectè enim de illa Plinius loquitur: *Vſus eſt efficaciſſimus rerum omnium magiſter*. Eoque anniti ſanè oportet, ut quantum datur noſtrapte opera quicquid ad rempubl. facit, uſu addiſcamus. *Quisquis profectò in re civili intelligens haberi volet, illi opus eſt experientia*; ut ſcitè dixit Ariſtoteles x. Ethicor. c. ult.

At verò ut omnia reipubl. negotia uſu comperta habeat homo unus, id neutiquam poteſt fieri: quamvis ad maximè ſeram ille ætatem perveniat & operam omnem in id impendat. Ea enim eſt multitudo negotiorum & caſuum, quarumcunq; etiam reipubl. ſpecierum, regni, democratiæ, ariſtocratiæ, aliarumq;, ut vel unius ſpeciei omnibus uſu addiſcendis unius hominis ætas & induſtria haud ſufficiat; tantùm abeſt, unum aliquem parem eſſe rerumpubl. omnium quibuslibet rebus experiundis. Proinde etiam, aut fieri non poteſt ut ſcientiam civilem homo unus conſequatur (utpote quũ niſi principijs cognitis non hæc parari, nec principia intelligi niſi per experientiam poſſint) aut præter propriam aliena experientia in auxilium advocanda eſt, quò Civilis ſcientiæ fias compos. Abſurdum autem creditu eſt, Scientiam Politicam ab uno aliquo homine parari non poſſe. Porrò propria Experientia in ſenectute demum complementum ſuum accipit; etenim *ſeris venit uſus ab annis*, ut ait Poëta. Itaque ſi illâ ſolâ liceat uti, tum demum poſſit homo Civilis eſſe ſcientiæ particeps, quando ad res gerendas minùs amplius eſt aptus. Alienum autem eſt à naturæ providentia, ut illa ſervaverit ſummè utilem ſcientiam illi demum ætati, quæ inidonea eſt ſcientiam iſtam in uſum, cui unicè eſt conſecrata, transferre.

Igitur

Igitur vel hinc patet, jubere quasi naturam rerum, ut à sola nostrapte experientia non omnia exspectemus, sed confugiamus etiam ad alienam. Posse verò & illam plurimum benefacere, res docet. Nec verò ulla ars & scientia non maximam partem alienæ illi innititur. Videmus verò planè idem evenire in civilium rerum scientia: utpote quum, ut Tacitus l.5. Annal. ait, *plures aliorum eventis doceantur*. Tutam verò illam esse & certam, modò rectè sese habeat, alibi pluribus demonstratur.

Ceterum Experientiæ alienæ compendium omnium locupletissimum est Historia. Non enim inscitè Empiricis Medicis Historia olim definita est: *oratio eorum quæ visu perspecta sunt aut quasi perspecta:* si tu per *visu perspecta* intelligas omnia usu comperta. Quocirca quod Polybius lib. 1. dixit, *ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν εἶναι*, i.e. *verissimam institutionem exercitationemq́; ad civiles actiones esse eam quæ ex historia petitur doctrinam*; id de hoc usu scientiæ civilis comparandæ quò de nunc agimus, non minùs verissimum est, quàm de commodo quod eadem proximè præstat rebus gerendis. Et verò omnis generis Regna, Aristocratias, Democratias, Oligarchias, aliasq́ue respubl. quemadmodum illæ omni tempore fuerint legibus ac moribus institutæ, unde ortæ, quare perierint; quid fecerit illas florere, quid mutare; non uno aut altero sed plurimis exemplis, & tamen citra magnum laborem, citraq; longi temporis jacturam, animo item nullis affectibus præpedito, ex historiâ licet pernoscere. Quod ipsum usque est adeo omnibus cognitum, ut, quanquam in promptu sint plurima ab optimis scriptoribus prodita in hanc rem Historiæ præconia, tamen testimonijs isthac in luce non sit opus.

Verum enimvero magna est monumentorum historicorum varietas: eoque non omnia perinde huic quidem nostro proposito benefaciunt, sed delectus aliquis prudenter est instituendus. Primùm enim naturalium aut medicarum utique rerum historia nihil hîc juvat, sed sola ea quæ in civilium narratione occupatur. Est autem & hæc alia ficta, alia vera & ex rebus ipsis quasi expressa. Ficta aut versatur apertè in humanis rebus aut per simulachrum. Prioris generis sunt Fabulæ poëtarum, aliorumque nonnullorum, qui descripserunt confictas à se vel respublicas vel res gestas. Posterioris ordinis sunt Apologi; sive de plantarum brutorumque animalium actibus ad humanarum rerum effigiem compositæ narrationes.

Quamvis verò usum suum omnia illa habeant, ad experientiam tamen civilem comparandam non nisi per accidens conducunt. Nec enim inde discere est quid reapse evenire soleat; sed duntaxat, quid figmentorum illorum scriptoribus fuerit visum, contingere in humanis rebus solere. Qua in re fieri indubiè potest uti errent ipsi: immo eorum multi plurimum jam erraverunt, Poëtæ præsertim Græci Romanique. Ac proinde certæ quidem experientiæ nihil inde consequi poteris. Minimè omnium isthuc faciunt Apologi; utpote quorum argumentum à rebus ipsis omnium maximè remotum est.

Et verò omnis in universum Historia ficta, quamvis ingeniosissimè elaborata fuerit, auctoritatem suam & fidem non à rebus ipsis sed ab existimatione narrantis accipit: proindeq; utut delectet, neminem tamen certâ aliquâ notitia, sed tantùm opinione probabili instruere apta est, & quidem prout auctor ipse majori est in prudentiæ laude.

In figmentis itaque ejusmodi non profectò est cur

terat tempus, cui certam civilium rerum scientiam comparare consilium; sed omninò vera historia illi est adeunda, quam tu quo signo dignoscas, non est hujus loci exponere.

Est verò & Historiæ veræ ingens diversitas. Quædam enim non attingit ipsa reipubl. sed alia quævis hominū negotia: qualis est quæ domestica, aut privatorum itinera, aut etiam prælia narrat, vel quæ in temporibus & familijs digerendis occupatur. Ac proinde licet ejusmodi Historia sit nonnunquam apprime ad vitam utilis: ad civilem tamen usum per se non adjuvat, nec Politicæ prudentiæ consulit, utpote quæ à reliquis prudentiæ speciebus diversa est. *Per se*, inquam, non juvant historiæ illæ prudentiam quæ propriè Politica est; per accidens tamen etiam huic prosunt, quoniam omnia vitæ humanæ negotia solent in reipubl. actibus locum suum obtinere; ac proinde ad hunc quoque ordinem istæ historiæ hactenus possunt referri.

Ceterùm quæ res civiles commemorant Historiæ, pertinent huc indubie quam maximè. Solent autem illarum pleræque in rebus gestis enarrandis occupari: quædam tamen potissimùm ipsas reipubl. formas, mores, eventa & instituta describere annituntur. Ad hoc aliæ nudè tantùm casus, actus, resque omnes enarrant, ad horum caussas non attendentes: aliæ verò ne has quidem solent silentio præterire.

Quin autem in universum omnes hæ multùm queant experientiæ Politicæ conducere, non est dubitandum: simul tamen manifestum est, illas quæ caussas eventuum civilium exponere haud negligunt, alijs istis longè utiliores esse. Nec verò abs re est, quod Polybius gravis scriptor olim dixit: *Ab historia si quis auferat quare, quomodo, quo fine unum-*

unumquodque sit gestum, & num id quod actum est ex ratione satis ceciderit: quod ejus reliquum est exercitationi quidem prodest, non tamen doctrinæ.

Prima laus porrò videtur rerumpubl. descriptionibus tribuenda; utpote quæ, siquidem rectè sese habeant, & multò plurima & nobilissima, quæque ut ita dixerim ad ipsam pertinent reipubl. animam, nos possint edocere; quum reliquæ in ijs quæ non nisi à rerumpubl. institutis vim & speciem suam nanciscuntur magis hæreant, potissimis quibus respubl. quævis innititur plerumque prætermissis. Hac sanè ratione permotus videtur fuisse Aristoteles, ut Politicam scientiam traditurus, non actorum civilium (prout vulgò adsolet fieri) sed rerumpubl. & quidem multarum adeo historias conscriberet: utque extremo Nicomachiorum promitteret, ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν sese docturum, quid conservet aut perdat civitates, quæve quamlibet rempubl. benè aut secus faciant administrari.

Pertinent porrò ad hanc historiam, Legum quoque ac institutorum civilium recensio. Plurimùm certè ad usum civilem facit, si teneas, quid apud varias gentes aut civitates, de ijs quæ ad omnem vitam civilem pertinent, vel legibus sit cautum vel receptum consuetudine, quantumque commodi aut incommodi instituta illa singulis civitatibus adferre soleant. Unicè sanè prodest ad τὴν νομοθεσίαν variarum hæc legum experientia: idque disertis verbis jam monuit Aristoteles *lib. 1. Rhetor. c. 4* jubens proinde νομοθεσίας caussâ consulere libros quibus τῆς γῆς περίοδοι continentur, quoniam ex ijs leges & instituta gentium queant hauriri. Quin & Theophrasto Eresio Aristotelis in Lyceo successori usus idem observatus est: qui quatuor & viginti Legum libros congessit, *ex quo omnium civitatum non Græciæ solùm sed*

 etiam

etiam Barbariæ leges cognoſci, apud Tullium Piſo profitetur.

Solet porrò de rerumpubl. negotijs non tantùm ijs in monumentis agi, quæ propriè hiſtorica nuncupantur, ſed & in Epiſtolis & Orationibus perquam multis. Immo ex Epiſtolis ſæpe graviſſima, & maximè cæteroquin arcana, petere eſt; nunquam magis animum ſuum exporrigente ſcriptorum ſtylo. Eadem pæneratio eſt Orationum nonnullarum deliberativi, interdum & demonſtrativi generis.

Quocirca hæc etiam verſanda diligenter fuerint, ad experientiæ civilium rerum decus aliquod adſpiranti. Si is tamen obſervetur delectus, quem circa libros hiſtoricos ſic propriè dictos commendavimus; utpote quum neq; hîc deſint qui præ alijs in latentes negotiorum cauſſas penetrantes, actorum quorumcunque conſilia exponant, adeoque maximo queant eſſe adjumento.

Neque verò alia cautela in delectu videtur opus circa ipſa etiam hiſtorica monumenta. Quod ſanè quidam ſuadent, nova veteribus præferenda, id quidem ad prudentiam illam quæ jam circa res agendas occupanda eſt, fateor, per eſt utile. Simpliciter verò uſui rerum conſequendo, aut parandis Politicæ ſcientiæ principijs, non eſt cur aut novis vetera aut veteribus nova anteponas. In rebus videlicet humanis eadem ſemper agitur fabula; ut qui nôrit quæ olim contingere ſolita, idem ignorare nequeat noſtrorum etiam temporum ſimiles caſus fortunamque.

Aſt vero quicquid horum eſt hiſtoricorum operum, revera non niſi materiam exhibet parandæ Civili Experientiæ. Ut nimirum illam ipſam Civilem Experientiam ex monumentis iſtis hiſtoricis conſequaris, neceſsũ porrò eſt,

primum

primum ut summa attentione historias quasque in animum admittas, *deinde* vero omnia illa firmiter memoriâ comprehendas sæpiusque repetas & animo volvas. Est nempe, quod jam tum supra dictum, Experientia aliud nihil, quàm unius rei iterata sæpiùs memoria, sive ut Aristotelis utamur verbis, *αἱ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι. Multæ memoriæ ejusdem rei vim unius Experientiæ absolvunt.* Ac proinde illi, qui nec animum probè possunt attendere ad res civiles, sive eas proprio usu versent sive in Historijs spectent, quique nullâ memoriæ dote sunt instructi, non est quod ullo labore Experientiam hanc civilem studeant acquirere.

CAPUT. X.

Experientiam rerum civilium sive usu sive historiarum lectione comparatam, non sufficere ad Prudentiam sive Scientiam Politicam acquirendam.

VErùm de Experientia civilium rerum, qualis ad Scientiam Politicam requiritur, comparanda, satis est dictum. Expediendum nunc etiam est, quemadmodum Scientiam ipsam commodissimè assequaris.

Videtur autem fortassis in facili id esse, modò Experientiâ instructus sis. Et sanè multos hodie Politicæ magistros, Usum civilem & Historiæ lectionem videas unicè laudare; quasi quod reliquum est nullo negotio soleat accedere, quandoquidem in promptu sit ad similia progredi. Ejusdem fere sententiæ fuerunt apud Græcos illi qui Sapientiæ docendæ caussa tum audiebant superbo nomine Sophistæ, circa Socratis Platonis & Aristotelis ætatem. Namque & hi existimaverunt, legum ferendarum peritiam, quæ utique Politicæ scientiæ pars nobilis est, facilem esse, si

tu habeas præclaras aliquot Leges in unum collectas; inde enim id quod optimum est à nemine non posse promi: quo nomine in eos animadvertit Aristoteles sub finem operis Nicomachij. Et vero videntur Sophistæ illi pæne eam Politicæ doctrinæ institutionem laudavisse, quasi ad Dialecticam & Rhetoricam comparandam usos illos esse, narrat idem Aristoteles in calce librorum de Sophisticis elenchis; proponendo nimirum in exemplum orationes ac disputationes de argumentis maximè obvijs, præterea autem docentes nihil. Sed & veterum probabiliumque maximè auctorum nonnulli ijs laudibus usum civilem & Historiam commendant, ut dixeris haud injuriâ, illos quoque palmarium operæ, quæ civili est scientiæ impendenda, tantùm non unicè ijs tribuisse. Livium sanè ipsummet ita existimasse, non est vero absimile, quoniam ita locutus est. *l. 1. Hoc illud est in cognitione rerum salubre & frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita loco intueri; unde tibi tuæq; reipubl. quod imitere capias, unde fœdum inceptu fœdum exitu quod vites.*

VERUM enimvero id utique certum est; nullum usum nullamque Historiam parere scientiam aut etiam scientiæ principia, nisi illa, quæ Experientiâ propriâ alienâq; sunt comperta, transierint ante in universales regulas. Utpote quum omnis Scientia in solis ejusmodi universalibus occupetur. Igitur nec exempla ex Historijs civilibus aut usu civilium rerum desumta ad res agendas quicquam juvant, nisi ex illis universalem aliquam adsertionem Politicam exstruxeris. Nec enim vel quisquam artificum, exemplis inductus agendum aliquid aut omittendum sibi sumit, propterea quòd semel aut iterum hoc vel illud benè successerit; sed quòd existimet alia

quæ-

quæque ad propositum exemplum successura: alioquin certè non nisi periculum faciat& casui rem omnem committat.

Jam autem universalem aliquam regulam ex singularibus eventis eruere, non vacat profectò difficultate. Enimvero quod de Experientia medica dixit olim Hippocrates: ἡ πεῖρα σφαλερή, idem & de civili longè est verissimum. Fit autem ipsum hoc, cùm quoniam facilè nobis imponitur, ut existimemus multa contigisse eas ob caussas, quæ per se nihil aut parum ad rem fecerunt, sed eam forte fortuna & per accidens sunt comitatæ: tum quoniam nimis sæpe præcipitamus sententiam, nondum facto justo exemplorum numero. Quæ per accidens autem sese habent, à veris & proprijs rerum caussis discernere, non profectò est cujuslibet, ut nec sufficientem exemplorum recensionem instituere.

Porrò etiamsi ad manum habeas multa eaque utilissima variarum rerumpubl. instituta, non tamen facilè adeò est, ex ijs id quod aut tibi aut singulis rebuspubl. conducit, seligere. Nec enim eo ipso jam tenes rationem quælibet commodè in usum traducendi. Planè quemadmodum non est facile de artificum operibus exactum judicium ferre, & quod inter ea est optimum eligere. Soli id possunt & artifices, & qui circa opera illa accuratè examinanda multum studij posuerunt, suntque in ijs quasi πεπαιδευμένοι. Nec tamen etiam qui sic satis benè judicant, de pictura ex. gr. aut calceo, eo ipso jam artem pictoriam & sutoriam addiscunt.

Hoc ipsum Sophistarum institutioni Politicæ jam tum olim Aristoteles objecit; ridens eos, quod electionem legum facilem esse pronunciassent, *quasi illa electio non singularem*

gularem postulet συνεσιν, & rectè judicare non maximum quid sit. Idem alibi scitè Sophistas perstringit, quòd Rhetoricam & Dialecticam ita docuerint, quasi tironi sutoriæ artis multos duntaxat calceos tu tradas, atq; ad eorum formam jubeas alios conficere. In universum videlicet verum est de variarum historiarum experimentorumque civilium ad Politicam Scientiam utilitate, quod de legum collectionibus idem Aristoteles pronunciat. *Legum*, inquit ille, *& rerumpubl. collectiones iis qui contemplari possunt & judicare, quidnam rectè aut contrà sese habeat, aut qualia qualibus conveniant, utiles sunt: at qui sine isthoc habitu talia pertractant, iis judicare quidem rectè non licet, nisi fortuitò; tamen illi ipsi ad ejusmodi negotia fiunt perspicaciores*

Observandum porrò hîc est, id quod jam tum supra inculcavimus, illorum quæ ad rempubl. attinent, non omnia posse exstrui ex solis experimentis, neq; id uti efficere coneris necessarium esse. In promptu autem caussa est. Quoniam videlicet firmæ collectionis beneficio mente nostra longè ulterius quàm experimentis pertingente, illa & possit ulterius & debeat tendere. Jam verò non in omnium esse potestate collocatum, subtili ratiocinatione veritatem invenire, notissimum est: ac proinde etiam hoc modo patet, non satis esse ad integram plenamque Scientiam civilem parandam, vel usum rerum civilium vel historiarum quamvis diligentissimam lectionem, sed majorem aliquam operam omnino exigi.

Ceterùm non est fortassis, cur errori isti confutando argumenta multa in medium conferantur, quum sufficiat refellendo illi solum id quod usu cernimus quotidiè evenire. Videre nimirum est, nonnullos historiarum civilium longè peritissimos Prudentiæ nihilominus Politicæ rudes

rudes aut parum intelligentes, eoque nec consilijs idoneos: alios ex adverso minùs longè in historijs & usu versatos, civilis tamen doctrinæ eximie gnaros, & in quammultis negotijs ad benè consulendum reipubl. promptos atque expeditos esse.

CAPUT XI.

Quibus adminiculis debeat esse instructus, is qui civilem prudentiam sibi comparare vult; quidq; illum porro agere in id oporteat.

IGitur non quidem vel sine usu vel absq; historiæ peritia ad scientiam civilem datur temere pertingere: exigitur tamen omnino præterea aliud quid, ut scientiæ illi fias compos. Imo etiam ad id ut ex historia & usu rerum suum fructum capias, opus est quibusdam quasi adminiculis. Id quod vel inde liquet, quoniam sine illis neminem assequi Civilem hanc Prudentiam aut Scientiam solere, usu ipso docemur. Igitur ante omnia de illis adminiculis dicendum nobis venit. Quænam videlicet illa sint, quæ Politicæ discendæ inserviunt.

Videtur autem non aliud quippiam huic rei parandæ exigi præter ea, quæ ad omnem omnino scientiam comparandam sunt necessaria. Certè etiam hisce ad Politicam scientiam adspiraturo opus est. Sunt autem hæc quatuor numero, ceu aliàs pluribus ostenditur.

Primum eorum est φιλοπονία. Quæ profectò necessaria est futuro Politico, non in id tantùm ut experientiam sibi comparet civilium rerum partim usu proprio partim diligente historiarum omnis generis lectione, sed cumprimis etiam, ut porrò ad scientiæ ipsius exactam perveniat possessionem. Latè quippe patent scientiæ hujus limites, nec

L facile

facile est addiscere id omne, quod ad quamque reipubl. speciem benefacit aut eandem corrumpit. Ipsamet itaque Politicæ amplitudo ostendit, labore & industria opus esse ad illam capiendam. Laborem autem nemo impenderit, nisi idem sit φιλόπονος, & fugiens desidis otij.

Alterum est φιλαλήθεια aut veritatis studium: quo ad Politicam scientiam maximè est opus, quoniam amore & odio facillimè hîc peccatur. Qua sanè ratione fit, ut multi unam alteramque reipubl. formam immodicis laudibus aut vituperijs prosequantur: ceu olim Athenienses popularem statum, Spartani optimatum regimen, Persæ alijque Asiatici populi principatum, omnibus alijs damnatis, tantùm non in cœlum evexerunt.

Necessum est *tertiò* adsit εὐφυΐα quædam ingenij, eaque in acumine inveniendi, potissimùm tamen in judicandi facultate posita: nec enim fieri potest, ut absque ejusmodi indole ullam aliquam scientiam atque adeò Politicam consequaris. Econtrario quò illa solertia est præstantior, eò major ad scientiam quamque comparandam est aptitudo. Ea certe dos est nativa ingenij, ut nonnulli hinc existiment, non esse opus ullo magistro ad Artes & Scientias parandas. Quam in rem quæ de Rhetoricis disputat Quintilianus *l. 2. cap. 20.* operæ fuerit pretium legere. Est verò excellentissima omnium εὐφυΐα, quam Græci ἀγχίνοιαν vocant, Aristoteles autem l. 1. cap. ult. Analyt. posterior. scitè definivit: εὐστοχίαν τινὰ ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. *Quandam, momentaneo temporis spacio, ejus quod probandum est aut sciendum medij, feliciter conjectandi facultatem.* Tanta certè hujus etiam ad Civilem scientiam interdum vis est, ut nonnulli, si non omnem, magnā ejus partem, nullo magistro, modò accedat aliquis rerum singularium usus, sive

proprius

proprius, sive ex historia aut aliorum relatione comparatus, consequantur. Quin imo & mediocris tantùm vis si fuerit ingenij, hac sola haud parum licet proficere. Et verò hac una dote videas in vulgo plurimos rerum civilium haud proletariè peritos reddi: præsertim simulac usus aliquis accedit aut historiarum diligentior lectio. Ut forte haud injuria de Politica etiam prudentia quæras, utrum illi plus conferat doctrina an natura.

Ceterum *ἀγχίνοια* quidem illa rara naturæ dos est. Nec fieri temerè potest, ut solo mediocris indolis beneficio veritatem semper ab eo quod falsum est, aut quod similitudine veri decipit, discernas. Quòd si itaque ars quæpiam datur inveniendi veritatem, illam omnino etiam ad Politicam scientiam comparandam adhiberi oportere, & *quarti* adminiculi loco censendam esse, manifestum est. Talis autem est quam Logicam hodie nuncupamus: cujus pars *ἀναλυτικὴ* accuratam quærendæ veritatis viam docet: Dialectica autem manuducit ad opinionem, ac proinde inservit etiam scientijs, si quando ad veritatem omni ex parte exquisitam non licet pervenire, quod sanè ut aliàs ita & in Politicis frequenter satis usuvenit. Certè Logicæ artis *ἀπαιδευσία* unicè efficit, quòd paucis admodum, etiam usu rerum & ingenij indole præstantibus, datum sit hactenus, Politicam scientiam omnibus numeris perfectam consequi, quodque multi adeò passim errores committantur.

Præter hæc autem quatuor nihil superest, quod experientia civili instructo necessum sit ad Politicam porrò addiscendam. Hæc verò si adfuerint, non videtur illa comparatu multum difficilis: utpote quum hisce adminiculis liceat uni homini quicquid est scientiæ adipisci. Quod profectò Aristoteli alijsque nonnullis certum est obtigisse.

Vix est tamen ut rectè sese hæc habeant, nisi commoda contingat EDUCATIO. Non tantùm sane ingenij indoles hebescit, & à labore ad otium reddimur proclives, quòd si à teneris haud fuerimus probè exerciti. Sed nec veritatem, vel qua par erat ratione amamus, vel possumus adsequi, nisi adsueti simus hanc omnibus alijs anteferre, & cumprimis honesta amplecti, turpia autem habere odio. Atqui rempublicam ea quæ honesta sunt maximè beatam reddunt, turpia autem non dedecorant tantùm sed etiam corrumpunt, ut aliàs docetur.

Accedit, quod quædam respublicæ solis bonis artibus non queant vel institui vel conservari: adeoque ad plenam omnium rerumplicarum scientiam omnino requiratur & malarum artium cognitio. Cum præterea & optimæ respublicæ soleant malis aliorum artibus corrumpi, quò corruptelæ illæ caveantur, necessum utique est, malas illas artes, etiam bonarum rerumpublicarum conservandarum gratia, debere haud ignorari. Ad hoc fieri sæpenumero non potest, ut respublicæ sint salvæ, nisi ad leoninam generositatem vulpinæ aliquid versutiæ accesserit. Quamvis verò vulpina isthæc non simpliciter in malis artibus numeranda, ut multi perperam existimant, sed *μέσα* sint; attamen nisi animus virtute fuerit munitus, facilè etiam illa in devia quem deducunt & degenerant in malas fraudes. Itaque quod Aristoteles desiderat in Moralis Philosophiæ auditore, ***animum præcultum consuetudine, ut rectè gaudeat ac oderit***, id profectò jure majori à Politicæ discipulo est postulandum. Nec enim cæteroquin poterit honestas & sceleratas artes probè distinguere: atque adeo non poterit rebuspublicis quibusque congrua media & vere salutifera præscribere: sed vel solas fraudes sectabitur,

illasq;

illasq; unice laudabit, vel præ nimio vitiorum odio dolosi nihil docebit unquam. Opus igitur omnino est, ut animus benè sit præcultus, adeoque & proba educatio ad talem animi culturam capescendam est necessaria.

Multùm porrò obstat, ne justam viam teneas parandæ scientiæ civilis, quòd si haud fueris adsuetus accuratæ doctrinæ. Prudenter sanè dictum est Aristoteli l.2. Metaph. cap. ult. *αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσι, auditiones doctrinæ cujusq; differunt pro auditorum consuetudine.* Qui verò civilem tractant doctrinā, eorum pleriq; hodie adsueverunt humaniori quam vocant litteraturæ, eoque sententiolas affabrè compositas, utq; ita loquar papavere aut sesamo quasi sparsas, aut historias jucundas adsectantur; quicquid vero accuratiorem sapit Philosophiam, fugiunt pæne ut scopulos, quasi curiosum nimis illud sit & Scholasticam subtilitatem redoleat. Et verò *λυπηρὸν τὸ ἀκριβὲς molestum est omne quod accuratum est.* Nec tamen Civilis scientia absque illa subtili curiositate perficitur aut sibi constat; nec rempubl. quamvis, omnī quidem ex parte, ignoratis istis subtilioribus rectè curaveris. Omnino igitur etiam hîc locum habet consilium illud Aristotelis: *δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον, probe à pueris oportet institui, quemadmodum doctrina quævis sit accipienda.* Oportet inquam exerceri in ijs quæ ad accuratam scientiam faciunt; ut inoffenso pede possis etiam ad Civilem doctrinam quàm exactissimam progredi, neve ejus loco contentus sis eo quod plebejam ruditatem vix antecellit.

HISCE vero dotibus omni ex parte probè instructus, atq; ita rectè à teneris educatus & assuefactus, ad Scientiam civilem illam eruendam, felici potes successu aggredi.

Est autem ut aliàs ita & in Politica doctrina primus I.

post experientiam labor, ut ex singularibus ijs, quæ usu aut proprio aut alieno comperta habes, universalia AXIOMATA & pronunciata conficias. Quod quemadmodum possit commodissimè fieri, quum in Logicis doceatur, saltim doceri merito debeat, non est quòd hîc repetamus.

Sunt autem talia universalia axiomata Politica quamplurima, jam tum omnibus temporibus à prudentissimis quibusque observata: quod nos docent monumenta adsertionum ejusmodi plena. Iis igitur utendum quidem esse, non est dubium. Immo si tutò possis illa usurpare, jam tum magnum est factum laborum compendium; utpote quum necessum non sit, uti laborem ipsemet impendas construendis illis universalibus axiomatibus; quod aliàs operæ haud est exiguæ.

Attamen omnino hîc opus est cautela; quippe quum fieri possit, ut falsa pro veris accipias, nec quodlibet tale adsertum, etiamsi rectum, certam indubitatamque mereatur fidem. Necessum igitur est, ut anteaquam ejusmodi quid in Scientiæ usum admittatur, veritas ejus probè sit perspecta. Explorari autem id potest triplici ratione. *Primùm:* si inquiras in auctoritatem illorum à quibus Politica *γνώμη* est profecta; num ea tanta sit, ut propter auctoritatem illam tuto possis axiomati in medium allato confidere. *Secundo:* si examines ipsam *γνώμην* ad experimenta, sive usu proprio comperta, sive in historicis scriptis memorata. *Tertio:* si caussam pronunciati investigaveris, eâ enim cognitâ non est quòd ampliùs dubites.

At tertium quidem illud est maximè accuratum quid; facilius tamen est primum & secundum. Nec enim historiarum perito difficile est, examinare universalia pronunciata

ciata ad Experientiam tanquam ad Lydium lapidem. In promptu quoque est intelligere, num multi in eandem sententiam consentiant, & num sententiæ auctor magno valuerit rerum usu, aut num prudentiæ laude excelluerit, nec ne. Quod videlicet omnibus, vel permultis prudentibus, vel etiam civilium rerum perquam peritis placuit, fieri vix potest ut fallat. Hinc sane rectè docet Aristoteles lib. VI. Ethic. c. 11.: δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων, διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα, ὁρῶσι τὰς ἀρχάς. *Usu peritorum & senum & prudentum pronunciatis, quamvis demonstratione carentibus, non minùs attendendum atq; obtemperandum est, quàm ipsismet demonstrationibus. Illi enim quoniam usu isto quasi oculum aliquem comparavere, perspiciunt ipsa rerum principia.* Qua de re aliàs ex professo differitur.

II. Sunt porrò ejusmodi universalia pronunciata, quæ proximè experimentis innituntur, non nisi principia Scientiæ civilis, quod ex Apodicticis constat: eoque nequaquam in ijs est subsistendum, sed utendum potiùs illis ad ulteriorem ipsiusmet Scientiæ exstructionem. Et verò plurima licet ratiocinando adsequi, usu nondum comperta: perinde ut in Arte Medica & plerisq; scientijs contemplativis usu solet venire. Quoniam verò Politica Scientia potissimùm occupatur in cognitione ejus, quod civili societati sive omni sive singulis ejus speciebus utile est: facilè apparet, utilitatem publicam præbere maximam vim ratiocinationum Politicarum: sicut etiam in Artibus pleraque solent fine potissimum æstimari. Ante omnia igitur operam dare oportet, ut rerumpublicarum, & in universum omnium & singularum specierum, scopus sit exactè cognitus

gnitus: quò de omnibus rerumpubl. institutis & legibus quàm expeditissimè possit institui inquisitio. Neque verò de medijs quæ ad finem aliquem ducunt judicaveris rectius, quàm fine ipso accuratè perspecto. Leges autem & instituta civilia nihil nisi media sunt boni publici impetrandi.

Præter finem tamen multum quoque præbet argumentorum, ipsummet (ut ita loquar) subjectum civilis societatis: planè ut in omnibus artibus magnum est momentum in subjecti natura collocatum. Est autem subjectum in Politicis, præcipuum quidem humana natura, inquantum illa est civilium bonorum capax: secundarium verò bona civilia ipsamet. Necessum itaq; est, ut ingenij humani indolem, quemadmodum illa animata esse soleat circa res civiles, idque secundum omnes ejus differentias, ab ætate, à sexu, à fortuna, à consuetudine dependentes: adhoc ipsamet bona civilia (qualia sunt virtus omnis generis, divitiæ eæque & naturales & artificiales, potentia, honor, voluptas) quantam omnia illa vim habeant in civili societate, intimè cognita habeat, quisquis ritè de civilibus negotijs velit ratiocinari.

Quoniam porrò omnium actionum civilium suæ sint effectrices causæ, principales pariter & instrumentales, actiones itidem multum differant pro earum diversitate; liquet utique, haud parvum de forma actionum Civilium argumentum, etiam à natura illius effectricis caussæ & posse & debere accipi: atque adeo & hæc non debere ignorari.

Hæc vero omnia si teneas, & argumentandi artis si sis peritus, ad summam Scientiæ Civilis perfectionem pervenire, haud amplius fortasse fuerit tibi difficile.

CAPUT

CAPUT XII.

Neq; puerum neq; juvenem aptum esse adsequendæ Civili Prudentiæ: debere tamen & posse utrumq; ad illam plene aliquando comparandam institui: quemadmodum item fieri hoc oporteat.

QUoniam verò omnia hæc quæ diximus ad Prudentiam civilem comparandam sint necessaria, nullo monente jam tum nemini non est perspicuum, fieri non posse ut integram illam sine discrimine quilibet è vulgo adolescens vel juvenis plene consequatur. Idque quoniam isthæc ætas haud soleat vulgo ab experientia virtute & judicio sufficienter esse instructa. Enimverò *seris venit usus ab annis*. Et solet ætas isthæc animi affectibus esse multum obnoxia. Exactum quoque judicium ætas demum largitur virilis. Et vero in juvenibus plærisque, ut scitè dixit Aristoteles, τὸ βουλευτικὸν est ἀτελὲς, perinde ut in fœminis idem est ἄκυρον. Etsi enim reperiantur præcocia quædam ingenia, quæ naturæ quadam prodigalitate anticipant multorum annorum beneficia; rarum tamen hoc est. Sed & illi quoq;, utut habeant rerum aliquarum usum, atque ita ad res nonnullas gerendas interdum summa cum felicitate magno omnium stupore admoveantur: tamen experientia omnibus numeris absoluta, qualis ad integram scientiam requiritur, ut instructi sint, fieri non potest. Verùm nobis sermo est de eo quod plerumque usuvenire solet; itaque rara illa non est quod hîc nos moremur.

Si juvenis autem non est capax integræ Civilis scientiæ, non est quoq; idem ejus doctrinæ idoneus auditor. Id quod jam olim ab Aristotele l. 1. Ethic. c. 2. est pronunciatum. Est videlicet is demum auditor idoneus, qui judicio valet

adſequi, rectè an ſecus ſeſe habeant quæ à magiſtro proponuntur. Judicare autem de omnibus civilibus negotijs non poteſt juvenis propter τὴν ἀπειρίαν, & animi virtute nondum ſubacti ut & judicij imperfectionem, ceu modò eſt dictum.

Etſi verò non ſcientiam exquiſitam, Opinionem tamen ſive δόξαν, poteſt nihilominus de omnibus rebus civilibus juvenis ſibi comparare. Immo ſi in Logicis fuerit probe inſtitutus, uti poſſit judicare num quid ritè ex poſitis principijs ſit collectum, poterit cum haud exiguo fructu ipſammet Scientiam civilem etiam exactiſſimam audire; modò tamen incidat in commodum magiſtrum. Cujus nempe ea eſt eruditio eaque auctoritas, ut illi ſaltem circa ea quorum veritas non niſi per experientiam poteſt innoteſcere, tutò liceat credere. Naſcitur quidem ita non Scientia ſed Opinio: utpote quum ſic ea quæ principiorum loco ſunt tantùm propter auctoritatem magiſtri credantur. Meritò tamen contenta eſt Opinione, ætas Scientiæ perfectæ nondum capax. Quemadmodum felix illa ætas eſt prudentium tutelâ, ipſamet nondum apta rebus ſuis adminiſtrandis. Donec nempe paullatim matureſcente judicio, & rerum uſu accedente, ea quæ hactenus non niſi ob magiſtri auctoritatem erant credita, firmiter explorentur, adeoque proprio quod dicitur remigio poſſis jam navigare.

Indubiè autem illis magiſtris quàm tutiſſimè fidem habueris, qui rerum uſu, prudentiæ item ac doctrinæ nomine, quàm maximè eminent. Adeoque quin hi potiſſimùm præ alijs ſint ſectandi, omni vacat dubitatione. Eſt autem duplex quaſi ordo magiſtrorum. Alij enim muti ſunt, ut in proverbio loquimur, alij coram docent ore. Quum utrique autem ſint conſulendi, hos illis tamen ju-
ventu-

ventuti esse utiliores, modò sint quales esse debeant, itidem extra controversiam est: nec verò temerè quis ignorat, quantum latentis ἐνεργείας vox viva habeat. Certè rarum est, ut sine vivo magistro illa ætas tantum proficiat, quantum potest proficere, cùm in alijs scientijs & artibus, tùm etiam in Politicis. Id quod jam olim judicio suo ipse Socrates comprobavit, utpote qui Xenophonte l.4 Memorabil. teste, ne Themistocli quidem suum magistrum defuisse censuerit, Euthydemo ad scientiam hanc sine magistro adspiranti dicens: *Stultum esse arbitrari, non posse quem præstare vilissimis in artibus, ni idoneos sit magistros nactus, gubernandæ verò civitatis notitiam sponte sua & ultrò hominibus obvenire.*

Quamvis verò manuductione commodi magistri possit juvenis hactenus, quemadmodum diximus, Scientiæ Politicæ fieri particeps, si nullâ is tamen valeat Logices peritiâ, ne quidem illuc facile pertingere poterit.

Ast idem saltem opinionem aliquam civilium rerum sibi comparaverit, si optimas prudentiæ civilis sententias animo comprehendat; & ob existimationem eorum à quibus sunt profectæ fidem ijs aliquamdiu habeat.

Ut ipsemet hac ætate ex singularibus eventis communia ejusmodi pronunciata & universales regulas exstruat, nativum ætatis vitium vix permittit: certè præ imbecillitate isthac non potest id fieri prout aliàs par est.

Hinc autem manifestum porrò est: non posse juvenem ex sola historiarum lectione civilem scientiam addiscere, nisi summâ cum difficultate; & quidem nisi adsit simul ingenij quædam præcox solertia, id quod rarum est. Ulteriùs item hinc consequens est: non esse juvenem idoneum historiæ civilis lectorem, quippe qui fructum ejus solidum,

ut ia dicam, quæ ſcilicet conſiſtit in illa axiomatum ex ſingularibus confectione, nequeat decerpere,

Aliqua tamen ex parte ſic ſatis idoneus hiſtoriæ Lector eſſe poteſt; ſi nimirum ante prudentibus ſententijs animum inſtruxerit, multò magis, ſi eo quo diximus modo ſcientiam didicerit. Ita ſanè poterit attendere ad multa, quæ aliàs illum non poſſunt non fugere: imo præterea ſententiarum doctrinæq; totius civilis certitudinem, ad exempla hiſtorica quam promtiſſimè examinaverit. Certè ita qui eſt imbutus, illum cum eximio civilis prudentiæ profectu hiſtorias terere, uſu ipſo experimur. Tempus contrà & operam perdere videmus vulgò juvenes, qui ex hiſtorijs etiam optimè conſcriptis ſtudent civilem ſcientiam conſequi, animo nullis antè præparato ſapientum præceptis. Illis ex adverſo qui differentias rerumpubl. & quæ ad earum ſanitatem & morbos attinent, ex optimorum magiſtrorum inſtitutione jam audierunt, feliciter pergentibus. Propterea quòd præceptorum veritatem ad hiſtoriam exigere non multum impeditæ ſit operæ, certè facilioris multò, quàm proprio quod ajunt Marte conari ex hiſtorijs ſcientiam condere.

Fatemur quidem etiam nos, poſſe juvenem multarum rerum memoriam, nullo licet magiſtro, certè nullo Politico magiſtro, ex hiſtoria petere; & hoc ſi tantùm ſpectet, haud ipſi eſſe ad hiſtoriæ lectionem opus prævià quadam Politicâ inſtitutione, ſed ſufficere ei præter linguæ quâ ſcripta eſt Hiſtoria, locorum quandam temporumque notitiam, qualem ex Geographicis & Chronologicis petere eſt. Quin fatemur, talem Hiſtoriæ omnis generis cognitionem non jucundam tantùm eſſe, ſed & liberaliter inſtitutum quemvis decere: quandoquidem ſcil. ruſticum eſt & puerile,

rile, ignorare omnia quæ alibi gesta sunt. Verùm non de quavis historiæ lectione nos nunc agimus, sed de illa duntaxat, quæ ad civilem scientiam parandam queat juveni conducere.

Longè minùs porro adolescente aptus est scientiæ huic addiscendæ Puer aliquis, idque quoniam à judicio & rerum usu multò est imparatior. Et verò vix intelligat ille vocum doctrinæ hujus significationes: tantum abest ut res ipsas adsequatur. Non tamen abs re est, etiam illam ætatem manuducere nonnihil jam tum ad Prudentiam hanc; si præsertim illam aliquando exercere fuerit propositum. Fieri autem hoc potest, pueritiam ipsam bonis moribus & sententijs imbuendo. Id sane quo majore factum industria, inposterum jam adultior quis eo felicius poterit progredi. Hinc probatum est hoc consilium prudentioribus quibusque jam olim. Id quod vel Æschines docuerit, cujus verba sunt: Διὰ τοῦτο τὰς τῶν παλαιῶν γνώμας παῖδες ἐκμανθάνομεν, ἵν' ἄνδρες γενόμενοι αὐταῖς χρώμεθα. *Eam ob caussam sententias veterum pueri ediscimus, ut viri facti iis utamur.* Quoniam autem ea quæ numeris sunt inclusa omnium facillimè & memoriæ mandentur & firmissimè hæreant; ejusmodi numeris inclusas sententias maximè pueris esse ediscendas, manifestum est: præsertim si ab auctore ipso singularem aliquam auctoritatem simul sint nactæ.

CAPUT XIII.

Quid requiratur ad Prudentiam civilem, ut in rerum actu quis illam quam optimè exerceat.

DE omnibus ijs quæ ad Civilem scientiam ipsam faciunt addiscendam, forrasse plus satis jam dictum. Antequam tamen hunc locum deseramus, paucis addendum;

quum Scientia hæc operationis ſit gratiâ, adeoq; in effectum amet deduci, quemadmodum id poſſit quàm commodiſſimè fieri. Et vero ejuſmodi Prudentia ſingularis jam tum olim primum meruit Politicæ titulum: adhoc eam actu exercentes etiamnum Politici & audiunt præcipuè & æſtimantur.

Ante omnia vero extra controverſiam collocamus: illum quàm optimè reipubl. poſſe conſulere, qui Prudentiæ civilis non partem ſed quod ejus eſt integrum animo comprehendit: Proximo loco cenſendum illum, qui ſaltem potiſſimas ejus partes accuratè didicit; Tertium locum autem mereri, qui addidicit univerſalia præcepta illa quæ reſpondent negotijs iſtis civilibus ſingularibus, quæ quis tractanda ſuſcipit: ut (v. gr.) qui curam regni alicujus aggreditur, ſaltem quæ ad regni naturam & ſalutem pertinent, qui vectigialium ille iſthuc facientia, teneat. Hinc manifeſtum verò eſt, quemlibet in actu rerum verſaturum oportere vel integram vel ex parte Philoſophiam Civilem didiciſſe. Quamvis enim jam tum ingenij vim quantum valeat agnoverimus, ſimul tamen oſtendimus, quantum præpolleat addidiſſe Scientiam. Ita ſanè opera Medica ab ijs qui Medicam artem didicerunt conſtat quàm rectiſſimè exerceri, nautica à nautis, & in univerſum artium omnium opera ab optimis artificibus.

Præter Prudentiam autem univerſaliorem hanc neceſſum eſt accedat accurata cognitio, cùm perſonarum tùm rerum omnium ſingularium, circa quas & cum quibus ex præſcripto Politices aliquid agendum venit. Planè ut artifex omnis ſecundum artem ſuam neceſſum eſt intimè habeat cognita ſingularia omnia ſubjecta, circa quæ ſua ars debet laborare.

Ea

Ea vis ad agendum profectò est in singularium rerum notitia, ut interdum ij qui illa duntaxat norunt sint ad res agendas aptiores longe illis qui universali prudentia sunt præditi. Quod ipsum ab Aristotele jam tum olim est monitum l. 6. Ethicorum cap. 1. Verba illius ita Latine verti possunt. *Omnis actio versatur in rebus singularibus. Ideoq; quidam non instructi Scientia, ad agendum aptiores sunt iis qui Scientiam sibi comparaverunt, & in aliis rebus ij qui Vsum earum atq; Experientiam habent. Nam si quis sciat carnes leves esse concoctu faciles & salubres, leves autem quæ sint ignoret, non efficiet sanitatem: sed is potius, qui avium carnes scit leves & salubres esse.*

Quoniam verò reipubl. negotiorum omnium, Alia eaque plurima inter cives & in rebus proprijs hærent; Alia cum exteris, præsertim vicinis civitatibus, deque rebus peregrinis intercedunt: manifestum hinc est, ante omnia domestica quælibet quàm accuratissimè perspicienda esse, juxtim verò peregrina etiam cognoscenda, interque hæc vicinissima maximè, in quantum saltim quæque illorum rempubl. tuam attingunt.

Sunt porro harum singularium rerum aliæ jam præteritæ, aliæ adhuc præsentes. Atqui has quidem ignorari minimè omnium debere, certè in has maximè respiciendum esse palàm est, quoniam actiones omnes civiles circa has potissimum occupantur. Operæ tamen est pretium præterita quoque, præsertim proxima ætati suæ, addat ille, cui consilium est reipubl. ritè operam dare; idque quandoquidem horum etiam cognitio magnum sæpe in consilijs & deliberationibus habeat momentum. Quid, quod & futura prænovisse summe in vita civili sit utile

utile? Qui futurorum certe est providus, idem maxime aptus est malis cavendis & bonis curandis.

Discuntur autem cum præterita, tum præsentia quam maxime usu & experientiâ, ut alia quævis singularia: atque adeo sive propria sive aliena experientia. Ac Præsentia quidem proprio usu, quemadmodum & præteritorum maxime propinqua, didiceris. Si aliena autem fuerit experientia consulenda, (quod est frequentissimum) tum hæc omnia optimè discuntur ab eo, qui Politicæ Prudentiæ simul est consultus: quandoquidem is longe intimius singularia quæque novisse idoneus est. Perinde nimirum atque Artis Medicæ peritus naturam singulorum corporum humanorum longè aptior est perspicere, quàm idiotarum aliquis. Multa sane rerum civilium momenta occultiora sunt & arcaniora, eoque fugiunt sæpè quamvis aliàs satis cautos. Hæc igitur ut solus Politicæ Prudentiæ gnarus intelligit, ita solus potest docere.

Non vivi autem duntaxat magistri hìc queunt consuli, sed etiam scripta monumenta, cum alia quæque ad res civitatis singulares pertinentia tum cumprimis Historica. Quemadmodum autem cognitio præsentium aut recentium rerum prævalet ad res agendas, cognitioni rerum antiquarum: ita etiam recentiorum rerum monumenta plus afferunt commodi. Ideoque in hunc quidem finem Historiæ earum quæ pro tempore sunt civitatum, præ veteribus singulari cura & studio volvendæ sunt. Quinimmo siquidem illæ Historiæ pari cum priscis monumentis laude sint conscriptæ, possintque non minùs atque veteres ad Scientiam ipsam comparandam facere, compendium operæ haud exiguum in recentioribus historijs est collocatum: utpote quum uno eodem-

eodemque labore & Scientiam Politicam, & ſimul quæ ad res agendas proximè pertinent ſingularia, liceat iſthâc ratione acquirere.

Eſt autem eorum quæ ad civitatem quamque & rempublicam attinent, ingens ſatis copia. Quæ omnia ad quatuor cauſſarum genera quam commodiſſimè retuleris: cum quævis civilis ſocietas imò actio quævis civilis quatuor cauſſis perficiatur: ſicuti fit etiam in Naturalibus.

Omnia igitur illa ſcienda ſunt curaturo integram civitatem aliquam, aut opus aliquod civile. Attamen ut rectè eſt l. 1. Rhet. cap. 4. obſervatum Ariſtoteli, quinq; numero in deliberationem maximè ſolent in republ. quavis venire. Agitur enim potiſſimum aut de vectigalibus & reditibus publicis: aut de pace & bello: aut de regionis cuſtodia: aut de ijs quæ importantnr & exportantur: aut denique de legibus. Unde conſequens eſt, omni reipubl. benè conſulturo, præterquam quòd teneat horum omnium univerſalem ſcientiam, in id maximè laborandum eſſe, uti civitatis & propriæ & vicinarum ſaltim omnia illa addiſcat, quæ ad quinque haſce rerum claſſes poſſint conducere; prout idem Ariſtoteles prudenter admonuit. Ex. gr. Circa vectigalia; unde illa capiantur aut capi poſſint minimo damno, & in quæ neceſſariò veniat aliquid impendendum aut vulgo ſoleat impendi. Circa bellum & pacem: quæ vires, quævè arma & tuæ ſuppetant reipublicæ & hoſti, quæ item bellandi ſit commoditas. Circa regionis cuſtodiam: illius ac viciniæ omnis ſitum, robur & debilitatem. Circa importanda & exportanda: quænam deſint aut ſuperſint & tibi & alijs, quemadmodum item quævis optime poſſint ſive exportari ſive adduci aliunde. Circa leges denique: cum alia tum præcipuè inſtituta quævis publica ac privata populi & tui & vicini.

Secundum horum omnium accuratam notitiam, ut ad res gerendas sis idoneus, nihil aliud requiritur quàm sedula in civilibus illis rebus exercitatio, idque in id ut ad agendum eò sis promptior. Facit nimirum exercitium, ut omnia quæ cum ad Scientiam ipsam tum ad subjectorum singularium notitiam pertinent, animo quasi obversentur, adeoque in memoria quàm maxime sint expedita: prout etiam in omnibus alijs Artibus & Scientijs usuvenire, nemini est ignotum. Eleganter sanè Plinius junior: *Difficile est tenere quæ acceperis, nisi exerceas.* Quocirca non etiam est cur Politicam facturo alia porrò nunc magnopere commendemus.

Observandum tamen, quemadmodum in eo qui adspirat ad Scientiam Politicam requiritur, eximia ingenij & judicij vis, magna item industria & proba educatio: Ita eadem cumprimis exigi in omni reipublicæ cujusvis administratore. Imo dixerim multò maxime talia in Pragmatico homine necessaria esse, propter singularium rerum agendarum & multitudinem, & ambiguitatem, & difficultatem, majorem quàm est eorum quæ ad Scientiam pertinent. Etiam porro hoc notandum: quandoquidem nonnullæ respublicæ non possint solis bonis artibus regi, in illarum quidem rectoribus non debere exactam virtutem reperiri, sed satis esse, si rectores illi sint semiboni aut semimali. In alijs tamen rectius sese habentibus rebuspublicis, regentium virtus quo perfectior est, eo in publicum est utilius.

Cumprimis postremùm animo infigere oportet id quod jam tum sæpius diximus: Universalia Politicæ Prudentiæ præcepta non posse omnia quæ in singulis negotijs agenda aut omittenda veniunt, comprehendere: atque

adeo,

adeò, tametsi universalia illa teneas accuratissime, omnino tamen adhuc multa te ignorare. Hinc verò palàm est, exigi in quovis prudente rerum administratore vim aliquam eximiam, quæ etiam non scripta & non præcepta pro re natâ possit subitò pernoscere & in alterutram partem decernere: præsertim si rei difficultas moram deliberandi haud patiatur. Versatur autem facultas illa bonam partem in omnium omnino circumstantiarum accuratâ expensione, atque in investigatione latentium caussarum singularis cujusque eventus. Hoc sane posse, reapse præstat prudentem Pragmaticum Politicum. Est autem hæc facultas fere illa quam Aristoteles δεινότης appellat, describitque, *l. 6. Ethicorum Nicomachior. cap. 12.*

Haud parum verò habet difficultatis isthæc singularium rerum civilium accurata cognitio: longe enim difficultate superat Prudentiam Politicam universalem. Quin imo in hoc præcipue consistit ipsa Practica prudentia civilis. Id quod itidem jam olim est Aristoteli observatum. Cujus in eam sententiam nectarea verba ex l. 5. Ethicor. cap. ix. non possum non hic ad ultimum adducere. Ubi scilicet accurate docuisset, quantum sit situm in notitia eorum quæ verè & secundum omnes suas circumstantias sunt justa, addit hæc sequentia. *τοῦτο δὲ πλέον ἔργον ἢ τὰ ὑγιεινὰ εἰδέναι· ἐπεὶ κἀκεῖ μὲν μέλι καὶ οἶνον καὶ ἐλλέβορον, καὶ καῦσιν καὶ τομὴν εἰδέναι ῥᾴδιον· ἀλλὰ πῶς δεῖ νεῖμαι πρὸς ὑγίειαν, καὶ τινί, καὶ πότε, τοσοῦτον ἔργον, ὅσον ἰατρὸν εἶναι. Hoc autem majus est opus quam nosse id quod salubre est. Nam & ibi facile est, novisse mel, & vinum, & helleborum, & ustionem, & sectionem: at verò, quemadmodum hæc adhibenda sint in usum sanitatis, & cui, & quando, æque magnum est opus quam esse medicum.*

CAPUT XIV.

De Ordine in docenda Politica Scientia observanda.

QUemadmodum Politica prudentia, cum illa universalis, tum altera singularis Pragmatica, possit debeatque comparari, jam docuimus. Proximum est paucis aliquid adjicere, de Ordine in docenda saltim universali illa Prudentia observanda. Est sane & hoc scitu utile, quandoquidem justus ordo efficit, ut doctrina commode in animum possit quasi illabi, & deinceps memoria comprehendi. Sicut ex adverso vitiosus ordo turbat mentem, ut nec accipere possit doctrinam nec bene retinere.

Quamvis autem & de Ordine, quis demum sit justus, multæ sint contentiones, nos tamen nunc, quasi extra controversiam, collocabimus virtutem ejus in convenientia cum cognitione nostra. Hæc verò exigit, ut antecedant *primùm* quæ aliorum notitiæ viam quasi muniunt, & sine quibus alia accipi nequeunt: *secundo*, quæ faciliora sunt cognitu: *tertio* quæ perfectiora & reliquis quasi pro regula sunt. Exigit eadem, ut seorsim tradantur quæ alijs inspersa vel obscuritatem parerent vel magnam inducerent intercapedinem: qualia fere sunt quæ ad aliorum illustrationem aut nihil aut non in totum faciunt. Exigit postremo, ut si vocabulorum significationes habeant quid ambigui, illarum definitiones ante omnia constituantur: & principia demonstrationum ipsis demonstrationibus præmittantur, nisi alibi illa seorsim sint tradita.

Hæc igitur quidem in omni omnino tractatione etiam Politici cujuslibet argumenti sunt accurate observanda. In omni, dico, cujuslibet argumenti tractatione. Potest scilicet &-

cet & Tractatio argumenti cujuslibet diversimode institui, & ipsum argumentum esse aliud atque aliud.

Enimvero alia Tractatio est plena accurata & omnibus numeris perfecta: alia rudior. Habet autem utraque suum locum etiam in doctrina Politica. Philosophia enim Civilis postulat Tractationem exquisitissimam. Pragmaticæ autem nonnunquam sufficit alia rudior. Quam differentiam Aristoteles ipsemet in docendo attendendam monuit, dum l. 3. Polit. cap. 5. ita loquitur: *Illius qui circa unamquamq; doctrinam Philosophatur, & non respicit solùm ad τὸ agere, proprium est nihil prætervidere, & nihil quidquam omittere sed veritatem aperire de re qualibet.* In eandem sententiam ab illo prolixius nonnulla l. 1. cap. 6. Eudemiorum Moralium differuntur; quæ tamen haud adducam nunc, ne ab instituto deflectere nimium velle videar: quoniam hæc jam tum scire convenit. Tractatio porrò aut integram suscipit Politicam Prudentiam docendam, aut duntaxat aliquam ejus partem.

Ceu ante tamen diximus, in quavis omninò tractatione cujuslibet argumenti, juxta illa proposita in medium præcepta ordo docendi est instituendus. Fortassis verò haud abs re fuerit, si saltim nonnihil hîc adumbremus quasi σκιογραφίαν integri Corporis Politici, secundum illa Ordinis διδασκαλικοῦ præcepta.

Quandoquidem igitur integra Prudentia versatur circa omnem omnino civilem societatem, omnesq; societatũ illarum civiles affectiones (ceu supra ostendimus) plena autem cognitio quatuor caussarum notitiâ absolvitur, palàm est, initio omnium agendum esse de ijs quæ Civili societati omni sunt communia, idque secundum illam quadru-

plicem caussarum classem, habita tamen (ut semper) potissima ratione caussæ formalis.

Proximum fuerit summas differentias civitatum indicare: quæ cum à diversitate formæ (quæ est regimen ipsum sive respublica) maxime oriantur, hæ cumprimis ostendendæ fuerint.

Iis constitutis jam porro ad speciei cujuslibet tractationem fuerit progrediendum. Quas inter cum una sit ex voto & simpliciter optima, adeoque omnium perfectissima, primum illa merito locum sibi postulat. Itaque de illa docendum jam omne illud fuerit, quicquid huic proprium est, atque adeo quicquid ad civitatem beatissimam potest pertinere. Quæcunque tamen illi uni non competunt, neutiquam in hunc statim locum conjicienda videntur.

Inde demum pergendum ad reliquas civitatum & rerumpublicarum species. Et quidem, si quod illæ habent commune id ante omnia docendum venit. Habent autem communia quam multa, ad constitutionem conservationem mutationemque rerumpulicarum unicè facientia.

Quoniam porro illis itidem suæ sunt differentiæ & species specialiores, illas item differentias oportebit quàm accuratissime in lucem producere, & exponere oculis. Hinc itaque demum ad magis specialia deveniendum, singulæque illæ species seorsim attendendæ examinandæque. Quo fiet, ut nihil tandem possit superesse quod doceri mereatur.

Hoc Ordine videtur quàm commodissime universa doctrina Politica tradi posse. Et sane hunc fere ordinem optimus docendi magister Aristoteles, in Politico suo opere observavit. Quanquã enim ordo ille minus hodie appareat

in

in superstitibus voluminibus, id tamen non Aristotelis sed librariorum culpa esse factum, jam tum in nostra Introductione demonstravimus. Ut proinde hanc nostram de Ordine Politicæ doctrinæ sententiam liceat nobis tanti viri consensione, citra ejus injuriam, roborare.

CAPUT XV.

De Politicæ Scientiæ aut Civilis Philosophiæ optimis per omnem ætatem scriptoribus.

EOrum quæ initio agere instituimus nihil superest agendum, quàm ut doceamus, quemadmodum Politica Prudentia Universalis, sive Scientia & Philosophia Civilis, hactenùs exculta &, ratione ejus ab omni retro memoria repetita, semper quàm optimè scripto fuerit tradita. Etiam id igitur paucis nunc expediemus.

Ac prisca quidem tempora si consulamus, primi & soli olim Græci transtulerunt ad nos suorum in hoc argumento conatuum monumenta. Aliarum sanè gentium nulla fere non civitates instituit sic satis prudenter, ipsam autem regendarum civitatum Prudentiam vel docere nescivêrunt, vel certe nihil ejus ad nos usque transmisere. Nec enim huc referre licet sententias Politicas sparsim dictas, quamvis aureas & multæ plenas prudentiæ: cujusmodi reperire est in Salomonis quoque sacris proverbijs.

Cæterum quinam etiam apud Græcos primi hoc in campo laboraverint, atque adeo quando apud illos cœperit excoli hæc Philosophia, videtur nonnihil esse affirmatu difficilius. Ciceroni enim si credimus, princeps *Socrates Philosophiam deportavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus rebusq; bonis & malis quærere.* Ex adverso, superant hodieque in

Stobæi-

Stobæanis Eclogis, Pythagoricæ Scholæ præstantium virorum, Socratis ætate majorum, quædam hujus argumenti & quidem varia. Adhoc si non aliunde, saltim ex Aristotelis Politico opere, libro cumprimis secundo, palàm est, etiam alios ante Socratem ad curam hanc suã operam contulisse, nec infeliciter. Verum enimverò incertæ nihilominus fidei sunt illa Pythagorica, quæ Stobæus suo operi inseruit. Et vero aliàs ostendimus, Naturalis quoque Philosophiæ illa opuscula, quæ Timæi Locri & Ocelli Lucani nomen præ sese ferunt, supposititia esse. Cum igitur etiam illa Politica, ante Stobæum, scriptorem utique non nisi sequioris ævi, nemo memoraverit nobis, haud profectò etiam illa certam fidem merentur. Seculo scilicet Christianô secundo & tertio ejusmodi multa conficta videntur, ab ijs qui Pythagoricæ veteris Philosophiæ restauratores voluerunt videri. Quæ certe Hippodamo tribuuntur à Stobæo, haud parum aliena sunt ab ijs, quæ in Hippodamum Milesium refert Aristoteles *l. 2. Politic.* Nisi duo fuerint Hippodami, & Stobæanus sit Doricus aliquis, alius ab Aristotelis Milesio: vel ea quam Riccobonus invenit conciliatio, sit admittenda. Quicquid vero hujus sit; omnia etiam illa Stobæana Pythagoricorum fragmenta, tantum in ijs quæ in Optima republica sint forte observanda occupantur, imo ejus quoq; argumenti non nisi pauca attingunt. Itaq; ad Politicam Scientiam parum adjuvant comparandam.

Socratis auditorem laudatoremque maximum Platonem, certius est hanc Philosophiam summo studio exornandam suscepisse. Superant hodieque illius cum alia tum præcipue De Republica alterum, Alterum de Legibus inscriptum opus; utrumque & prolixum & summa sermonis suavitate conditum, & plenum veræ frugis Politicæ.

Verum

Verum enimvero desideraveris meritò in utroque cùm justum docendi ordinem, tùm plenam de omni republica tractationem. Et verò neutrum agit de omni republica, sed utrumq; duntaxat de optimâ. Illo licet discrimine, quod in opere de Republica doceatur potius idea quædam perfectissimæ civitatis, quàm talis aliqua quæ reapse inter homines obtineri possit: Alterum de Legibus, usui humano sit commodum magis ac utile. Adhoc in illo priore multa profectò reperias quæ non propriè pertineant ad Politicam doctrinam, quædam & commenta Poëtica potius quàm gravem Philosophiam redolentia: quales sunt Eris Armenii fabulæ. Ex adverso in illo opere etiam eorum, quæ de optima republica veniunt differenda, permulta ne quidem sunt tacta. In altero autem præclaræ quidem Leges recitantur, de ipsa autem republicâ itidem habentur perpauca. Quod ipsum & Aristoteles olim judicavit *l. 2. Polit. cap. 4.* Taceo nunc, nonnullis absurdis sententiis auctoritatem operi saltem priori detractam esse. Haud pauca tamen peregregia cùm ex utroque volumine tum præsertim ex illo de Legibus hauseris; præsertim quoniam illa parte Aristotelici libri deficiunt.

Integram hanc Philosophiam primus omnium conatus fuit ARISTOTELES tradere. Quin etiam præstitit hoc ipsum tanta felicitate, ut parum abfuerit ab omnimoda perfectione. Verum & illius libri mutili, disjecti, & hiatibus compluribus deformes, ad nos pervenerunt. Agimus aliàs de illius operis conditione omni pluribus: itaque non est quare nunc velimus illis repetendis immorari. Id unum sufficit in memoriam revocasse, neminem quenquam ad Philosophiam hanc illustrandam paratiorem accessisse Aristotele. Quippe qui & demonstrandi artis fuerit peritissimus, & rerum civilium historiam omnem habuerit in promptu, & simul cum

scribendi valuerit facultate, tum industria fuerit incomparabili. Vt vel hinc non possit non quivis meritò de operis præstantia bene suspicari. Si quid sane judico, unus Aristoteles omnes omnium temporum conatus hactenus quidem longo intervallò superavit.

Qui Aristoteli in Lyceo successit Theoprastus, ut in aliis ita & hac in Philosophia, quantum ex Laërtiano indice apparet, plurimũ laboravit. Cicero l.3. de Legibus testatur, *Theophrastum institutum ab Aristotele, habitasse in eo genere rerum.* Idem de Dicæarcho & Demetrio Phaleræo hoc subjungit : *Ab eodem Aristotele doctus Dicæarchus huic rationi studioque non defuit. Post à Theophrasto Phaleræus ille Demetrius, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque, non modò in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxit. Nam & mediocriter doctos magnos in republ. viros, & doctissimos homines non nimis in republica versatos, multos commemorare possumus: qui verò utraq; re excelleret, ut & doctrinæ studiis & regenda civitate princeps esset, quis facile præter hunc inveniri potest?* Hæc ita Cicero : sed quo tempore illorum libri adhuc supererant. Cum vero jamdudum illi perierint, nihil attinet, illos hîc laudavisse, aut quæ de illis ex antiquis monumentis hinc inde aliàs haud exiguo labore excerpsimus, attulisse in medium.

De Heraclide Pontico, perinde atque de Aristotele loquitur idem Cicero: *hunc profectum à Platone illustrasse omnem civilem in disputando locum.* Memorant alii illum etiam Aristotelis inter auditores: quasi utrumque audiverit. Verùm nec hujus quidquam est reliquum, præter fragmenta operis de Moribus gentium variisque sui ævi rebuspublicis.

Præter hosce paucos autem non est quisquam, in ipsomet omni illo Græcæ Sapientiæ florentissimo ævo, qui laudem aliquam ex cultura hujus Philosophiæ acceperit. Et verò Academici

cademici, Platonicæ scholæ heredes, ad ineptam ἀκαταληψίαν prolapsi sunt. Ipse Theophrasti in Peripatetico Lyceo successor Strato Lampsacenus ambiit & impetravit Physici nomen, quum alii illi Politici Philosophi audiissent, ceu alibi testatur Cicero. Hunc secuti, solidiore omni antecessorum doctrina adhoc destituti (libris scilicet Aristotelis & Theophrasti sub terrâ reconditis) ultra trivi alia vix sapuerunt, quod nos etiam Strabo docuit. De Stoico Dione quum dixisset Cicero, *quædam subtilius ab illo de magistratibus* disputata, Atticusque addidisset, *Ait tandem? Etiam à Stoicis ista tractata sunt?* Respondit Tullius; *Hoc sane nisi ab eo quem modò nominavi: & postea à magno homine, & in primis erudito Panætio. Nam veteres* (Stoici scilicet) *verbotenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem de republica disserebant. Ab hac familiâ magis ista venerunt, Platone principe.* Unde intelligimus, à Stoica etiam schola nihil esse olim profectum quod magnopere hîc profuerit. Multo minus est, quod existimemus Epicureos aliquod fecisse hîc pretium operæ; quoniam illi reipublicæ curationem omnem damnaverunt tanquam suæ felicitati inimicam. Huc spectat illud de semetipso Ciceronis l. 8. Epistol. familiar. 20 ad Pætum. *Omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem caussarum, abjecimus, in Epicuri nos adversarij nostri castra conjecimus.* Ex quibus patet, à Theophrasti fere usque ætate ad Ciceronis ævum, omnem hanc Philosophiam desertam atque planè incultam jacuisse.

Iam autem paulo ante Ciceronem, imo ipso adhuc vivo, redierunt quidem iterum in lucem Aristotelis scripta, reperêre etiam illi suos illustratores & commentatores, & tum statim & omni pene secuta tempestate, Græcos, Arabes

bes & Latinos, nemo tamen illorum Politicum opus ornare vel conatus est, donec seculo Christiano decimotertio Thomas Aquinas inusitato hactenus exemplo hoc agere ausus fuit. Similiter qui Politico commentario Platonem illustraverit, nemo inventus est. Procli enim quæ exstant & levia sunt, & Politicam Philosophiam nulla ex parte sapiunt.

Qui porrò suopte ductu aliquid conscribere sit ausus, Græcorum omnium nullus omnino est. Vnus Cicero, inter Latinos, ad Platonis exemplum, sex de Republica libros & aliud de Legibus volumen exaravit. Quorum illi dudum perierunt, nisi quod somnium Scipionis superfit: hujus tres fere libri exstant. Itidem vero Cicero de sola optima republica egit utroque in opere: neutiquam Aristotelico more de omni reipublicæ specie: ceu fieri debuerat. Etsi igitur in libris de Legibus sint quædam haud aspernanda, forte etiam in libris de Republica præclara quædam fuerint tradita, universa tamen Civilis doctrina vix eminus fuit à Tullio tacta.

Porro nec Arabum scriptorum quisquam (quos penes tamen aliquamdiu regnum omne stetit melioris & veteris Philosophiæ) hîc vel hilum præstiterunt. Nec enim Averrois Epitome Platonica, meretur laudem ullam eximiã.

Hæc verò misera ratio fuit omnis hujus Philosophiæ, donec demum, ante hos circiter ducentos annos, Græcæ & Latinæ literæ iterum cœperunt efflorescere. Quod temporis intervallum est profectò ingens. Ex eo autem, Aristoteles cumprimis, nactus est varios, cùm qui de Græco Latine verterent Politicũ illud opus, tùm qui vel Paraphrasi, vel notis, vel justis commentariis illud illustrarent.

De

De hisce tamen dicere sententiam hic nolumus: quandoquidē ea cura pertinet ad Introductionem nostram in opus Politicum Aristotelicum, indeque possit facile recipi quod in usum est.

Quid de iis qui suopte Marte aggressi sunt Philosophiam hanc tradere, sit sentiendum, haud item pronunciatu difficile est; si expendantur illa quæ in lucem prodierunt scripta, ad ista saltim quæ in hisce Propoliticis proposuimus, atque ad hanc quasi normam omnia exigantur. Manifestum sane hinc fiet, nihil eorum quod hactenus in lucem prodiit, vel universam Scientiam civilem omnemque adeo ejus ambitum persecutum, vel justis demonstrationibus Politicis esse usum, vel denique debitum ordinem observasse. Nihil certe non una aliqua parte laborare.

Quam censuram cum is qui hisce Propoliticis bene est instructus possit facile instituere, nihil etiam est caussæ, quare de singulis Politicis recentis ævi scriptis hîc multum nos quidem laboremus.

FINIS.

INDEX CAPITUM
Libri Propoliticorum.

CAP. VI.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. IIX.

CAP. IX.

CAP. X.

HERM. CONRINGII

DISSERTATIO EPISTOLICA DE VARIA ET MAXIME VERA JURISPRUDENTIA.

VIRO MAGNIFICO NOBILISSIMO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

HENRICO Langenbeck JCto,

Serenissimi Brunsv. & Lyneburgensium Ducis

CHRISTIANI LUDOVICI,

Cancellario & Sanctiori Consiliario &c.
Amico suo magno

S. P. D.

HERMANNUS CONRINGIUS.



AGNUM est nomen Prudentiæ Iuris & ingens apud omnes gloria. Si rem ipsam verò spectemus, non unum quid sed multiplex variumque isthac voce usurpatur; idque adeò inter se diversum, ut de nonnullis fortassis haud injuria dubites, num tanti nominis mensuram adimpleant. *Varia est peritia Iuris: non omnis autem forte Prudentiæ nomē meretur.*

Enimverò nulla gens, civitas nulla, imò nulla omnino societas, quamvis exigua atque ex hominibus pretii contempti conflata, reperitur aut esse potest, cui non sint jura & leges. Quæ jura & Leges proinde numero sunt infinita, quemadmodum & cœtus ejusmodi civiles numero nullo queunt comprehendi. Has Leges verò inter cumprimis celeberrimâ dudum fuerunt famâ, apud Judæos qui- *Omnium latarum Legum, cumprimis Iudaicarum,*

Romanarum & Pontificiarum est sua aliqua peritia.

dem non illæ duntaxat quas per Mosen Deus ipsi Israelitico populo promulgavit, sed etiam (& præcipuè quidem) quas Magistri Judæorum, tanquam à Mose arcanâ traditione acceptas, falso quidem & inepte, venditantes, processu temporis in grande unum volumen Mischnæ & Gemaræ compegere; in Europa autem tantum non universâ, cùm illæ quas Justiniani Romanorum quondam, magni sane Imperatoris, auspicijs & jussu, vasto itidem volumine Tribonianus est complexus, tum quas Romani Pontifices proximis aliquot seculis ediderunt, mole & varietate cæteris haud impares. Etsi autem harum legum præcipua hodie passim sit auctoritas atque existimatio, ac proinde harum cognitio dignitate prima sit: cum tamen & reliquarum Legum in suis civitatibus, quarum sunt in usum conditæ, haud minor sit vis, illarum quoq; notitia parilem fermè, saltim in singulis rebuspublicis, locum solet invenire. Eo tamen discrimine, quod ubi leges sunt paucæ & intellectu faciles, non ea Peritorum juris auctoritas esse possit, quanta est alibi, ubi præ copia & obscuritate leges in paucorum notitiam perveniunt; utpote quum hi eo ipso legum penè fiant domini.

I. *Peritia Legũ Species est Iuris privati alicujus civitatis cognitio.*

Cæterum & illarum, quæ singulis civitatibus propriæ sunt, Legũ cognitio varijs sese modis habere solet. *Primum* enim, cum ipsum cujusque civitatis jus, aliud sit Publicum, aliud Privatum: est quidem interdum ut utriusque juris peritiam quis teneat, interdum tamen abest alterutra; nec minus tamen illa in vulgus audit peritiæ juris splendido cognomento. Romani sanè olim privati juris solitaria cognitio, isthoc titulo fuit plærumque venditata. Unde Antonium, virum magnum, Cicero ita differentem producit: *Si quæreretur, quinam Jurisconsultus verè nominaretur?*

tur? eum dicerem, qui Legum & Consuetudinis ejus qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, peritus esset. Pauci sanè tùm fuere ad exemplum Atteij Capitonis compositi, quem Gellius, *publici privatiq; juris peritissimum* nuncupavit. Nec vero non hodieque idem obtinet, idque moribus Europæ tantùm non universæ.

Quoniam verò omnes inter populorum Leges primâ dudum famâ fuerint Romanæ, & quidem Justinianeæ, úsqueadeò ut hæ Civilis juris nomen præalijs per excellentiam adeptæ sint; hinc *secundo* has Justinianeas novisse, id præsertim, esse Jus civile tenere, existimatur. Et tamen multum id abest à peritia juris illius, quod in civitate quavis hodie obtinet. Nec enim Justinianeum illud jus usquam terrarum, nisi aliqua sui parte & quidem exigua, vim legis amplius habet. Alicubi nullum illi pretium est. Ubivis statuta & consuetudines domesticæ prævalent; & rebuspublicis libera est potestas jus illud vel de novo acceptandi, vel rejiciendi etsi jam quadantenus receptum. Eóq; nec ipse Tribonianus hodie quidem sit idoneus in ulla civitate jus dicere secundum Leges. Perinde atque observare passim est, quamvis peritissimos juris illius, ipsi pares Cujacio, in foris nostris exiguum admodum posse, sive agendæ causæ fuerint sive judicandæ. II. *Species est Iuris Iustinianei peritia.*

Hæret *porrò* legum illarum singularium peritia, interdum in nuda cognitione sensus legum: Ut nimirum intelligas duntaxat, quid legibus sit sancitum, quidque adeò illæ sibi velint. Est verò & illud scire haud levis operæ; tùm præsertim, quando leges sunt vetustæ, & præ nimia quadam copia aut verè aut certè in speciem inter sese diffidentes. Id quod usu venit præcipuè circa Romanas leges; illas etiam quas Justiniani cura accepimus. In sola sanè III. *Species cōstat nudâ cognitione sensus Legū.*

earum mente exponenda laboraverunt plurimi, præ alijs verò pretium operæ fecerunt eximi viri, Cujacij, Balduini, Pithœi, Fabri, Gothofredi, Fabrotti, & si qui alij Romanarum rerum veterum notitiam accuratam ad hoc Romani juris studium attulerunt. Perinde atque illis adminiculis destituti, vix est, ut integri quidem legum illarum Corporis; (nam de quibusdam Legibus, quarum maximus est usus, non equidem id dixerim) plenum intellectum assequantur. Ea sanè est & difficultas & prolixitas studij hujus, ut qui huic animum appulerunt, ipsum fori usum plærumque negligant, imò ad judicia causarum inidonei penè reddantur, nisi vel ampla ingenij capacitas eos erigat, vel nonnihil ipsi remittant ab illa cura.

IV. *Species est conjuncta cum solertia judicandi facta secundum leges.*

Cæterum plærumque hæc Legum cognitio comitem habet *solertiam*, quâ causæ ad Leges tanquam normam possunt exigi. Et verò in id potissimùm solet peritia isthæc comparari; Ut nimirum vel possis judicare controversias quasque civium, vel illis patrocinari, ad legum præscriptum. Plane autem posterior illa solertia à Legum peritiâ strictim ita dictâ, (etsi uno communi nomine vulgò veniat) multum diversa est. Nam omnis quidem civilis ac forensis contentio est de eo, quod contra Leges ab aliquo actum creditur; attamen potissimùm versatur in ijs dubitationibus: factum sit quidpiam ab illo qui accusatur nec ne, & si factum, sponte an invite, si sponte an deliberato consilio an repentino aliquo animi motu; si invite an per ignorantiam, eamque aut vincibilem aut invicibilem, an vero per violentiam factum sit. Quæ quatenus verisimiliter queant persuaderi Rhetoricæ, quatenus autem certis argumentis judicanda sint, ejus peritiæ est quæ in judice postulatur. Ut ad causas sive agendas sive arbitrandas tum demum

demum Legum cognitio sit necessaria, quando jam de ijs quæ diximus constat. Sola nimirum superstite quæstione: utrum consentaneum fuerit legibus nec ne id quod est factum. Et verò hanc ob rationem, apud Græcos pariter & Romanos, (in quibus olim primò omnium causidicina in artem redacta est) illi qui egerunt in foro causas, rarò Legum sibi peritiam comparavere, contenti in dubijs Jurisconsultum aliquem, (quorum nemo tum egit causas) adiisse. V.

Species destituitur cognitione usus & noxæ Legum.

Adhoc solet plerumque, etiam illa ad forensem usum composita legum peritia absolvi, non attento num lex bene an secus lata sit. Imò verò ea in vulgus obtinet sententia; non esse fas rationem & commoda legum quærere; utque liceat, inveniri tamen non posse; certè operam esse inanem. Quod verum sit nec ne, nunc haud definio. Caussas legum vulgo ignorari, & tamen illas qui ignorant Peritos ac Consultos imo Prudentes Legum existimari, palàm est. VI.

Species simul rationes atque commoda Legum cognoscit.

Posse tamen etiam rationes usumque Legum haud ignorari, & illam Scientiam cumprimis laudem mereri perfectæ latarum legum prudentiæ; non difficile adeò est perspectu.

Antiquæ legis cumjusq; prima lationis causa rarissime sciri potest. Est tamen scitu utilis

Enimverò fatemur quidem & nos, verissimum esse Juliani JCti illud: *non omnium quæ à majoribus constituta sunt ratio reddi potest:* si *rationis* voce intelligas, id quod primam ferendæ legi occasionem dedit. Qui enim assequamur illa omnia, præsertim si lex sit vetusta, & gestarum in republica rerum nulla in vulgus suppetant monumenta? Attamen & illa primordia Legum novisse, quin plurimum faciat ad veram Legum intelligentiam, quantùm arbitror, vacat dubio. Certè ad Legum aliquot Romanarum inter-

terpre-

Quidam id tentarunt docere circa Leges Romanas.

terpretationem Franciscus Balduinus, (is enim nisi fallor princeps id vidit) cumprimis verò Jacobus Gothofredus V.V. C.C. plurimum lucis ex historia temporum, quibus Leges fuere olim latæ, attulerunt. Et huc pertinet Wolfgangi Freymonij labor in conficiendo Indice Constitutionum Imperatoriarum, (quæ præ alijs Legibus πραγματικοὶ sunt imò πρόσκαιροι) ad temporum seriem dispositarum. Imò collimaverunt isthuc, qui Romanorum Jurisconsultorum veterum illa fragmenta, unde Pandectæ Justinianeæ constructæ sunt, in libros quosq; suos postliminiò revocarunt. Quos inter eminent Indicibus editis Antonius Augustinus & Jacobus Labittus. Nam & ita in conspectum quodammodo venit, quâ occasione quove sensu pleraque illorum jurium, quæ in Pandectis nunc lacera & disjecta visuntur, olim ab auctoribus suis scripta ac pronunciata fuerint. Sed & illis, qui Leges duodecim Tabularum, aliasque antiquas Romanorum juris constitutiones, cumprimis verò qui Edictum perpetuum restituere sunt annisi, eadem videtur mens fuisse. Ut nimirum, quoniam Pandectæ sunt conflatæ ex fragmentis illorum scriptorum, qui cumprimis ad Leges illas veteres & Edictum perpetuum sunt commentati, factâ collatione occasio dictorum eò rectius elucescat.

Justinianus tamē illam curam improbavit.

Verum illa quidem interpretandi Juris Romani diligentia saltim sententiæ Justiniani non satis convenit. Utpote qui ista interpretationis adminicula omnia, partim aboleverit, præfationibus Constitutionum præcisis, & obscuris multumq; disjunctis librorum Juridicorum veterum fragmentis in centonē conjectis; partim incerta reddiderit, sub antiquis librorum auctorum annorumque inscriptionibus, pluribus novis Cæsarea sua potestate editis: in universum quoque nihil ab sese editum, voluerit amplius veterum illorum

illorum JCtorum aut Cæsarum censeri, sed sua. Quod exemplum in Basilicis promulgandis alij Cæsares secuti, quicquid illorum (ut ita dicam) adminiculorum in Justinianeo Corpore superfuit, totum abjecerunt. Benè an secus vel à Justiniano vel ab alijs id actum sit, jam non disputo. Id patet, illam interpretandi Juris Justinianei rationem Justiniano ipsimet non probatam fuisse. Liquet etiam, quod illa inquisitio in Legum Romanarum verum sensum & rationem factæ earum lationis, ad illam qua de nos jam loquimur Prudentiam juris nihil faciat.

Maxime vera latarum legum prudentia longè est diversa à notitia legum originis.

Hoc nimirum volumus: latarum legum omnium talem aliquam cognitionem posse accipi, ut sciamus, num latæ leges, ante omnia æterno illi & nobiscum nato juri, deinde & reipublicæ alicujus usui, satis conveniant nec ne. Ad quæ cognoscenda, parùm præstat scire originem & occasionem factæ lationis legum. Tum nempe duntaxat aliquid valet, quando expendere animus est usum latæ legis ad tempora ejus prima: quamvis etiam ad sensum legum accuratè percipiendum, novisse illa omnium primordia, refe-rat semper plurimùm. Certè vehementer errant viri magni, inque his ipsemet Jacobus Gothofredus, qui in illa primordiorum (ut ita dicam) cognitione, veram accuratamque Romanarum legum scientiam collocatam esse arbitrantur. Est enim quidem illa præstabilis eruditio, quæve paucissimis contingat; estque adeò illa, quâ olim videtur sese multum adeò commendasse, C. Plinij Secundi judicio, Titus Aristo Jurisconsultus: ab ea tamen quam modò tetigimus juris peritia immane quantum dissidet.

Ea potest acquiri.

Posse verò talem aliquam acquiri, qualem nos ante indicavimus latarum legum cognitionem, non est quod dubitemus. Utique enim expendi omnia ad naturæ jus

Q quéunt

queunt: nec reipublicæ cujusvis singularis commoda atque incommoda novisse intellectus humani captum excedit. Ubi noveris igitur, & quid ipsa rerum natura quasi sanxerit, & quid exigat uniuscujusque reipublicæ ratio, poteris utique latarum legum examen ejusmodi quale diximus instituere, atque adeò talem tibi illarum scientiam comparare.

Peritia Iuris alicujus civilis, quæ destituitur facultate judicandi, aut cavendi, indigna est titulo Prudētiæ Juris.

Et verò omnes inter species peritiæ latarum legum, quas modo commemoravimus, hæc maximè videtur elucere, & Prudentiæ legum nomen promereri. Quis sanè meritò Prudentiæ grande nomen dederit saltim illi legum peritiæ, quæ circa solum lati juris sensum hærescens inidonea est consulere humanæ vitæ? Tali autem peritia legum nonnullos esse instructos, jam audivimus. Non equidem diffitebimur, etiam hanc peritiam mereri eximiam laudem: imò jam tum professi sumus, Romanarum legum talem peritiam non posse quem perfectè consequi sine magnæ doctrinæ subsidijs, ac proinde hactenus illam solos Cujacios & primæ notæ alios paucos, assequutos esse. Si tamen dicendum quod res est, Philologica potius quædam, sive, quod perinde est, Grammatica aut Historica hæc legum est peritia, quam Scientia, vel Ars, vel Prudentia justi & æqui civilis.

Quid Civilis juris nomine hîc intelligendū. Romanū jus reapse hodiè non est amplius jus civile.

Civilis cum ajo, intelligo tantùm illud jus, quod in aliqua singulari obtinet civitate: nec enim nunc ago de eo, quod pro diversitate rerumpublicarum multiplex est & diversum. Et verò etsi illa quæ plene assecuta est omnia quæ in aliqua singulari republica hodiè obtinent, possit civilis hodierni alicujus juris scientia aliquatenus dici, Romani tamen illius juris plenissima etiam cognitio non id nomen pari ratione meretur; quoniam illud jus nusquam terrarum

rum omni ex parte reapse vim civilis legis retinet. Hujus certè perquam multa novisse, perinde ferme est atque leges Atticas aut Spartanas novisse: quod indicio maximo est, verum esse quod diximus, ejusmodi cognitionem esse historicam.

Juris civilis peritia, quæ conjuncta est cum facultate applicandi jus ad factum, revera est quædã Iurisprudẽtia. Id à nonnullis sine caussa negatur.

Longè ad vitam & communem usum est utilior illa recepti juris peritia, quæ comitem habet juris ad facta applicandi facultatem. Imò illam qui fraudant Prudentiæ titulo, injuriam profectò faciunt insignem peritia isthac instructis plurimis Jurisconsultis. Et verò cum Prudentia sit illa vis, quæ circa humana occupatur bona, atque adeò quæ id quod in vita utile est aut noxium assequi & consulere idonea est; quo merito Prudentiam non dixeris illam peritiam, quæ & novit quid sit moribus atque institutis civitatis consentaneum (hoc est autem illud, quod in publicum est utile,) & simul actus omnes civiles ad normam institutorum civilium arbitratur ac dirigit? Hoc omne verò præstat illa juris peritia quam nunc tangimus. Communis sanè omnium gentium usus semper ejusmodi peritiam Prudentiæ nomine decoravit. Non alia utique peritiâ fuerunt instructi olim Romanorum Jurisconsulti; quos tamen Prudentes juris appellatos esse ab omnibus, vacat controversia. De C. Aquilio Jurisconsulto ipsemet Cicero pronunciat: *Ejus prudentiam populus Romanus in cavendo non in decipiendo perspexit.* Jamdudum ante C. Ælium *catum* h. e. cavendi prudentem Ennius cecinerat illo suo:

Egregie cordatus homo catus AElius Sextus.

Tullius certè *sapientiæ* quidem nomen immerito priscis illis Romani juris peritis tribui censuit: Prudentiæ autem ultrò largitus est, illa etiam pro Muræna oratione, quâ Jurisconsultis istis iniquior fuisse creditur. Quid, quod illis peritiæ

 hujus

hujus contemptoribus, cum Aristotelis voluerint haberi sectatores, ipsemet Aristoteles debuerit meritò linguam temperare? Is videlicet ipse Aristoteles passim laudat δικαστικὴν peritiam *Prudentiæ* cognomento: nec tamen aliam ille legum peritiam judici inesse debere existimavit, quàm illam qua de nunc sermo est. Ineptè sanè Prudentiæ titulus ideò denegatur huic peritiæ, quod rationẽ juris nesciat. Ipsæ scilicet leges & mores huic Prudentiæ sunt loco rationum. Inverso nempe ordine procedit ἡ νομοθετικὴ & δικαστική. Illi leges sunt opus aut conclusio: huic principium concludendi aliquid de negotijs civilibus. Nec verò cui legis auctoritas pro norma est, is abs ratione agit. Id sane affirmare, cum injuria est conjunctum non duntaxat legibus obsequentium, sed etiam judicum omnium.

Potissimũ mereri Iurisprudentiæ cognomentum peritiam juris, qua utilitas & noxa legũ intelligitur.

Etsi verò Prudentiæ nomine digna omninò sit talis judiciaria legum peritia: indubiè tamen majoris est Prudentiæ, ipsas legum illarum rationes, atque adeò commoda & noxas, quas illi queant reipublicæ alicui præstare, posse expendere atque judicare. Hoc certè usum maximum humanæ vitæ adferre est idoneum. Certè civitati plus commodi præstare aptus est is, qui tenet legum civilium utilitatem & noxam; quàm qui novit duntaxat, secundùm leges & mores usitatos controversias civiles decidere. Ac proinde plus in illa peritia est prudentiæ.

Hanc Iurisprudentiam reperiri oportere in rectore reipublicæ.

Et sanè in illo qui reipublicæ præsidet, sive auctoritate sive consilio, non tam illa quam hæc Prudentia unicè requiritur. Perinde ut Iudici illa ferè sufficit, hæc non nisi leviter adsit necessum est. Nec verò rempublicam probè administraveris, si ignores, num leges & mores recepti rectè sese habeant, & si non habeant, quatenus corrigi debeant

aut

ant & mutari. Enimverò non est quod nos turbent illa Neratij: *Rationes eorum quae constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quae certa sunt subverterentur.* Agit enim ille non de reipubl. præside sed de judice, & quidem illo, qui in judicando non tàm legum normam velit sequi quàm sui animi ratiocinationes. Iudici sanè illam si permittas licentiam, subvertentur multa ex his quæ sunt certa, & legum tandem ipsis in judicijs non nisi inanis umbra superforet: quo nihil est civitati perniciosius. Dispar verò multùm est ratio Iudicis, & illius qui ad reipubl. sedens clavum, civitatem omnem gubernat atque administrat. Usque sanè adeò, ut quod hujus est in officio, id alteri ne quidem extremo, ut ajunt, digito fas sit attingere.

Sed hoc discrimen variæ lati juris peritiæ, quodque adeò hæc demum præ alijs Prudentia juris sit, quum reliquæ nonnullæ non nisi commune illud Peritiæ nomen mereantur, intelligere fortasse non multum est difficile. Videtur sane illa jam assecutus, ipsemet ille meus stupidus adversarius. Novisti hominem, Vir Magnifice, ideoq; nolo ejus nomine chartas maculare. Etsi enim antehac me petiisset isthac sua quæstione: *An probabilis sit novatorum distinctio inter juris Peritum & juris Prudentem?* inque solemni Panegyri eam adversus me curasset ab aliquo duponndiorum suorum magnis clamoribus agitari; in nuperrimis tamen thesibus scripsit; *cardinem controversiæ nostræ* versari, in ijs quæ Hopperus habet initio tituli 23. libri quarti, ibi vero ab Hoppero grauissimis verbis sententiam meam damnari. Summa autem doctrinæ illius loci est: *Politicam legum interpretationem, in Senatu & republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum rectè latæ sunt inquiritur, potissimùm versari: eoq; nec in communibus*

Variam esse Juris peritiam, & ultimã maxime dignã titulo Iurisprudẽtiæ, non antẽ fine discrimine omnem; etiam adversarius meus agnovit.

scholis tractari debere, ubi leges ipsas juvenes, nisi triginta quinq; annos nati & composito sint animo, non autem judicium de legibus, quas ut decet colere oportet, addiscere debent: neq; in foro & tribunali, ubi secundum leges non de iis est judicandum. Quorum cum nihil advertetur illi à me propositæ inter juris Peritiam & Prudentiam differentiæ, sed potius ipso statim initio illam roboret, videtur ille homo, velle hoc jam incauto lectori persuasum: quasi de ipsa illa differentia nihil inter nos fuerit controversiæ, sed fortè de eo; an juris lati Prudentiam vel censuram Politicam fas sit in communibus scholis doceri, idque ipse negaverit cum Hoppero, ego affirmaverim. Qualibus figmentis (nec enim illam quam fingit controversiam ego unquam verbulo tetigi) mos est hominis, quærere effugia, quando captus & convictus est: tanquam scilicet hac ratione in tuto collocetur illius pristina jamque agnita inscitia.

Forensem prudentiam juris nõ mereri Iurisprudentiæ ambitiosum elogium, ab Aliis quoq; animadversum est: atq; ideo hi, diversa tamen ratione, cogitarũt de formanda

Viderunt verò & alij nonnulli magno ingenio doctrinaq; illustres Iurisconsulti Romani, pragmaticam illam forensemq; peritiam non æquare pondus, quod inest nominibus, quibus in ipsis Pandectis Iustinianeis Romani juris Prudentia extollitur, eòque cogitaverunt de facie aliqua Artis aut Scientiæ illi concilianda, modis tamen & conatibus multùm diversis. *Alij* nimirum id dederunt operam, ut legum illarum cum æterno jure æquitateque consensum ostenderent: rati hoc esse demum veram & non fucatam juris Philosophiam profiteri. Laboraverunt *Alij* in eo, ut communissimis quibusdam axiomatibus niti plurima corporis Iustinianei pronunciata, docerent: hoc sanè potissimum fuit curæ Matthæo Gribaldo. *Alij* denique si ex pronunciatis Iustinianeis communioribus, nullo naturalis aut positivi iuris facto discrimine, fluere multa alia monstrarent,

strarent, hoc ipso sese Iuris scientiam tradere arbitrati sunt: qua in sententia fuisse Antonium Fabrum prodit sanè ejus Scientia Iurisprudentiæ Papinianeæ. *vera aliqua Iuris scientia.*

Verum enimvero tot præstantium virorum conatus nemo æquus arbiter non laudaverit quidem plurimùm: neque sibi tamen illi neque alijs cordatioribus satisfecerunt. Quo factum, ut nonnulli haud dubitaverint apertè profiteri, nulla esse latarum legum certa principia, & frustra in Scientiâ Legum comparanda laborari. At verò de hisce quidem aliàs. *Cõatus illi laudabiles quidẽ sunt, non assecuti tamẽ, quod voluerũt.*

Ut autem cum illis reliquis nunc agamus. Utique demum in principiorum verorum indemonstrabilium necessariorumque notitiâ rerum scientiam sitam esse, caret dubio. Quæ illi verò attulerunt, non profectò sunt Legum, sive Romanarum sive aliarum, vera fundamenta ac propria principia. *Aberrarunt in ipsis Legũ veris principiis.*

Faber sanè quæ produxit ab illo ordine absunt longissimè: quod nemo non mecum judicabit Analytices peritus, saltim qui inspexerit opus illud Papinianeæ scientiæ, cœtera eximium. *Ant. Faber.*

Axiomata à Gribaldo producta sunt illa quidem principia legum atq; actionum humanarum, perindeatq; rerum naturalium aliarumque penè omnium, (sunt enim ex Metaphysicis magnam partem petita) attamen illa Metaphysica atque adeò communia (perinde atque Physica Mathematica atque Moralia, quæ itidem inveniunt suum locum in Politicis aut Nomotheticis demonstrationibus interdum, ceu alibi docemus pluribus) non sunt verè propria domestica & proxima potissimaque Legum principia, quæ maximè tamen idonea sunt demonstrandæ Legum rectitudini. Et verò etiam illa communia tum demum in demonstra- *Matth. Gribaldus.*

monstratione inveniunt locum, quando ad materiam specialem restricta merentur pro domesticis accipi.

Etiam illi qui in Legum ad Justitiam naturalē exactione collocant Iuris Scientiam.

Magis ad rem solent accedere illi, quos primo loco commemoravimus. At profectò in nulla republica leges omnes condi solent, quoniam ita jubeat naturalis æquitas: eòque illa quidem non est legum civilium primum principium. Enimverò, saltim plærarumque, Legum etiam optimarum ea est natura & conditio, ut naturaliter justæ sint haud alio sensu, quam quod non sint injustæ, sive quod naturali juri haud adversentur: (prout vox justum est πολύσημος) non quod Natura ipsa ita sanxerit. Positivæ enim utique sunt Leges plæræque: atque adeò vim justi naturalis non assequuntur. Quæ Natura nimirum simpliciter quidem jussit per sunt pauca, plura ex hypothesi constituit; at negotia civilia longè ampliorem normam exigunt. Quinimo ea etiam quæ Natura vetuit impunè permitti, quæ mandavit non mandari, in civitate interdum est necessum.

Ex ipso Corpore Iuris Iustinianeo palàm est, potissimum Iuris principiū esse utilitatē.

Enimverò mirari sæpè subiit, quî potuerint multi adeo præstantes doctores ita cespitare circa ipsa Iuris principia: cum Iustinianus tamen Cæsar diserte & frequenter adeò, idque verbis optimorum maximorumque Romanæ jurisprudentiæ scriptorum, quæ Iuris quidem Civilis Romani in universum rationes sint ac fundamenta, omni orbi propalaverit. In ipsum Titulum de Legibus recepit utique Cæsar ille hæc Pauli: *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam VTILITATEM, auctoritate constituentium introductum est.* Hæc item Modestini: *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro VTILITATE hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum COMMODVM producamus ad severitatem.* In ipso Titulo de Iustitia & Iure hæc Ulpiani sunt

sunt verba: *Publicum jus est quod ad STATVM rei Romanæ spectat, Privatum quod ad Singulorum VTILITATEM: sunt enim quædam publicè VTILIA, quædam privatim.* Ibidem scripsit Paulus: *Jus dicitur altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate VTILE est: ut est Jus civile.* Ipsiusmet Papiniani hæc verba sunt de jure Prætorio: *Jus Prætorium est, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris civilis gratia, propter VTILITATEM PVBLICAM.* Titulus de Constitutionibus Principum habet hæc verba Ulpiani: *In rebus novis constituendis evidens esse VTILITAS debet, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum visum est.* Idem planè de Jure publico & privato Romano, tyronibus ipsis inculcatum voluit Cæsar, statim initiò Institutionum. Imò idem quoque non obscure de Jure gentium voluit doceri illos ipsos Titulo secundo: *Jus gentium*, inquiens, *omni humano generi commune est; nam VSV EXIGENTE ET HVMANIS NECESSITATIBVS, gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt.* Mitto alia complura; vel enim ex hisce paucis satis constat, principium, saltim magnum, Civilis & Gentium juris, Justiniano Cæsare & ipsis illis Jurisconsultorum Romanorum omnium primatibus auctoribus, esse *utilitatem.* Quid? quod (si benè rem explices) non alia sit ipsiusmet Naturalis *justi propè mater & æqui.* Etiam hoc scilicet producitur quasi ab Utilitate naturæ ejus quæ humano est generi communis. Verùm id subtilius est fortè quàm ut huic loco conveniat: alibi tamen seorsim à nobis demonstratur. Illud abunde jam est manifestum, Romani atque adeò omnis Civilis juris, maximè proprium atque domesticum principium ac fundamentum esse, civilem utilitatem. Si sane fides habenda est Cæsari ipsi Justiniano atque optimis maxi-

mis illis consultis juris: habenda autem meritò est, cum pariter omnium prudentum sententiâ, & evidentibus rationibus, demonstrare id in promptu sit.

Falluntur ergo qui Leges positivas cæco arbitrio stare existimāt.

Hoc ipso autem simul palàm fit, quantum illi & à recta ratione & ab ipsorummet optimorum juris Romani conditorum sententia aberrent, qui Leges positivas civiles nullo certo niti fundamento, sed solo cœco arbitrio stare vel cadere arbitrantur. Verùm non est quod illa nunc nos morentur.

Vtilitatē Iuris constituti licet certa quadam scientia intelligere.

Cæterum utilitatem constituti juris intelligere, (quâ in re consistere si non omnem saltim potissimam ejus, si qua est, scientiam, quamve notitiam summè commodam esse omni illi qui ea quâ par est ratione reipublicæ suæ studet consulere, affirmavimus) possit forte videri difficilius, quam ut hominibus assequi sit concessum. Certe paucissimos reperias, qui viam rationemque id consequendi tradere sint aggressi. Verum enimverò nec ego quidem negaverim, paucos admodum id certâ quadam via ac ratione agere: usus tamen docet, tantâ sic satis multos pollere judicij acrimonia, ut vel naturâ vel usu longo comparatâ ingenij facultate, commoda & noxas recepti juris optime atque exacte comprehendant. Utique enim videas multos leges receptas corrigere, supplere, mutare, antiquare, imò & novas condere, insigni felicitate: quod profectò fieri non potest, nisi usu & noxa legum intime perspectâ. Vobis certe Magnifice LANGENBECI, qui ad clavum reipublicæ sedetis, familiare hoc est; inque eo non exigua pars vestræ est prudentiæ, & præclarorum de publico meritorum laudis, collocata. Si faciunt autem hoc multi (ut faciunt) vi quadam ingenij, ergo etiam certâ quadam viâ & arte idem effici potest. Licet enim

utique

utique observare, & in unum cogere illos modos, quibus utuntur in isto felice Legum judicio illi ingeniosi. Quod est viam certam atque artem quandam producere. Hac sanè ratione omnes artes initiò sunt conditæ. Si verò certa quadam via judicium instituatur, non potest non profectò illud cum summo reipubl. gerendæ commodo esse conjunctum; multum sanè illa methodus præstiterit isti, solis ingenij dotibus innixæ facultati.

Evidens hoc usque est adeò, ut etsi pauci, nonnulli tamen, meditati sint Juris quam vocarunt artem condere. Utinam verò par successus omnem illorum conatum excepisset! At nonnulli statim in ipsa janua, ut ajunt, impegerunt, Artem istam juris collocantes in dispositione quadam concinna legum Justinianearum: quasi illam qui teneat jam sit artifex legum simpliciter omnium. At nec ego quidem haud negaverim, isthoc sensu memorari: Ciceronem cogitasse *de jure civili* (Romano scilicet) *in artem redigendo*, & Celsum JCtum dixisse; *jus*, h. e. Leges Romanas, probo ordine collocatas, *artem esse boni & aqui*. At illa quoq; ipsa vocis *artis* usurpatio multum abit à verò ejus usu: & ejusmodi profectò ars, ad commoda atque incommoda legum pernoscenda, omnino nihil valet. Nec verò vel ipsius Romani juris usum aut noxam illius beneficio assequaris; tantùm abest, ut illa te idoneum reddat alterius civitatis legibus arbitrandis.

Perperā à nonnullis, Juris ars in proba dispositione Legum Romanarum posita est.

Haud me latet, ea nonnullos erga Romanum jus duci superstitione, ut tanquam certum indubitatumque habeant, esse illud omnibus numeris perfectum commodumque; non correctionis porrò, non mutationis capax; aptum denique & sufficiens omnibus rebuspublicis: eoque ad illud Jus, quicquid alibi tenetur, tanquam ad normam exigendum

Perperā sidē censuere. Ius Romanū solum vere Ius esse, & aptum

omnibus rebuspublicis. dum; ut illud scilicet ubivis sit utile quod huic conveniens, illud noxium quod ab hoc dissentit. Verùm hæc quidem postulata (postulant enim hæc credi, nulla cùm sint ratione instructi) excedunt modum. Et verò satis insaniæ illi (insania enim mera est) confutandæ sufficit communis omnium gentium, omnium rerumpublicarum, omnium seculorum, ab hoc placito dissensio.

Ipsimet Romani prisci longe secus de suis Legibus judicarunt. Nec enim ipsosmet Romanos exceperim; utpote qui nunquam adeò inepta superstitione leges suas sint venerati, sed semper ultrò fassi, maximam partem suarum legum esse jus suæ civitati proprium, ut Atheniensibus Atticum, atque pro usu exigente mutabile, solis *naturalibus legibus semper firmis atq; immutabilibus permanentibus.*

Romani suas Leges XII Tabularum usu exigente mutaverunt. Imò verò quas ipsimet leges suas non mutavere? Utique enim prima & maxima auctoritas fuit decem Tabulis: his statim additæ duæ, ubi animadversum, *deesse aliquid istis primis legibus*, (ut loquitur ipse Pomponius) neve crederetur vel sic ferendis legibus impositum finem, ipsimet undecimæ Tabulæ hanc legem inseruerunt: *Quod postremum Populus jussit, id jus ratum esto.* Eopse pene tempore, (si Pomponio credimus: non mereri autem in omnibus fidem, dudum doctis innotuit) *compositum prudenter illud Ius Civile* quo *disputatio fori* comprehensa, & confectæ *Actiones legis* quæ formulis (non dicam qualibus; Justinianus ipse illas appellat *antiquæ subtilitatis ludibria*) constabant. *Secutus inde immensus aliarum super alias acervatarum legum cumulus*, ceu dicebat Livius; imo (ut Tacitus loquitur) *perventum est ad multitudinem ac varietatem legum infinitam*; adeò, ut quemadmodum *antehac flagitiis ita tunc legibus sit laboratum.* Quo malo Julius Cæsar permotus, teste Tranquillo, *Jus civile ad certum modum redigere*

gere atq; ex immensâ diffusâq; Legum copia optima queq; & necessaria in paucissimos conferre libros destinavit.

Nec verò mansit duodecim Tabulis primus honor: imo tantam non omnis earum vis, *nisi in Legis Actionibus centumviralium causarum*, jam ante Cæsarum ætatem, *lege AEbutia latâ consopita est:* quod Juris peritus quidam jam olim Aulo Gellio respondit. Et verò testis est Ludovicus Charondas, in fragmento quodam Romanæ antiquitatis sibi repertum: *L. AEbutius Tribunus plebis, vir popularis, legem tulit ad populum, ut XII tabularum capita, quæ inutilia essent reipublicæ, tollerentur: qua lex multis contradicentibus tandem lata est.* Ille certè Jurisperitus Gellianus, Hadriani ævo non dubitavit profiteri, interpretationem Decemviralis Juris non magis ad se pertinere, quam Juris Faunorum & Aboriginum. Eadem tempestate ipse Sextus Cæcilius, præstans sanè Jurisconsultus, fassus est Favorino, *Plerisq; ipsis duodecim tabularum Legibus jam populum Romanum uti desiisse*, addita excusatione: *Legum opportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proq; vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atq; flecti, neq; uno statu consistere; quin, ut facies cœli & maris, ita rerum ac fortuna tempestatibus varientur.* Et verò utique Romanus Populus non ipse tantum processu temporis plæraque mutavit suis Senatusconsultis & Plebiscitis; sed & Prætoribus suis facultatem concessit (bene an secus jam non disputo) *leges corrigendi adjuvandi & supplendi.*

Lex XII Tabularum tandem tota est antiquata.

Populus ipse Romanus multum detraxit auctoritati XII Tabular. cumprimis per Edicta Prætoria.

Jam verò & Prætorum illud Honorarium Jus, quam instabile initiò fuerit, non passus est nos ignorare Dio: *Prætores*, inquiens, *omnes ea jura, secundùm quæ jus ipsi dicturi essent albo inscripti proponebant. Nec enim*

Ius Prætorium fuit inconstãs usque ad conditum Edictum perpetuũ.

jura & leges omnes ad contractus pertinentes exprimebant, nec id uno eodemq; tempore faciebant, nec abs se scripta servabant; sed alibi mutabant scripturam sæpius, & in hac re multa, ceu facile creditu, ad gratiam vel odium quorundam fiebant. Igitur C. Cornelius Tribunus plebis *rogationem tulit, ut & statim à principio Prætores prædicerent, quo Iure essent usuri, & deinde nequaquam ab hoc deflecterent.* Illa Prætorij Juris major solito constantia cœpit quidem anno v. DCXXCVI; fuit tamen perexigua. Quemadmodum nimirum ipsa Prætura annua fuit, ita & Edicta Prætorum non nisi annalia. Plurimùm enim falluntur, qui rogatione Cornelia majorem stabilitatem arbitrantur Edictis datam esse: quum utique Cicero ipse adhuc disertè affirmet: *qui plurimum tribuunt Edicto Prætoris, Edictum Legem annuam esse dicunt.* Jussu demùm Hadriani Cæsaris à Salvio Juliano conditum est *Edictum* illud *Perpetuum* vocatum.

Ipsum Edictũ perpetuũ laboravit plurimũ discordia commentantium.

Non vana quidem appellatione, si conferas cum antegressis temporibus, quando *variè illud incondite q; à Prætoribus promebatur*, ut Aurelij Victoris verba mutuemur: at non eo tamen sensu, quasi nec addere nec demere aliquid illi fas fuerit. Ipse *divus Hadrianus* (verba sunt ipsiusmet Cæsaris Justiniani) *in compositione Edicti hoc apertissime definivit; ut si quid in Edicto positum non invenitur, hoc ad ejus regulas, ejusq; conjecturas & imitationes, possit nova instruere auctoritas.* Sed & factâ Jurisconsultis Edictum interpretandi facultate, horum commentationibus penè illud enervatum fuit. Justinianus sane conqueritur: *Antiquos Edicti Perpetui commentatores opus moderatè confectum in infinitum distraxisse, ut penè omnis Romana sanctio sit confusa.* Item: *in antiqui Edicti factum esse ordinatione, ut illud brevissimum constitutum, ex differentium commentantium differentia*

ferentia seu diversitate, in infinitam extenderetur multitudinem. Certè ipsum illud Edictum commentariorum mole & discordia tandem quasi suffocatum videtur; atque ita evanuisse.

Eadem inconstantia fuit Senatusconsultorum & Plebiscitorum. Tacitus de ijs non dubitavit profiteri; duodecim Tabulas *finem aequi juris*, sive ejus quae aequalitatem conservârit inter Plebem & Senatum, *fuisse: secutas autem leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sapius tamen dissensione ordinum, & apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaq; ob prava, per vim latas esse.* Plæraque verò etiam illorum, statim Cæsarum ævo, vim omnem legis perdiderunt. *Senatusconsulta & Plebiscita Romana fuerunt eâdem inconstantia.*

Ipsismet porrò Cæsareis Constitutionibus utique nihil incertius fuit & inconstantius. Citò profectò perierunt omnes quæ Hadrianum antecessere. Nec enim aliam temere dederis causam, quare ab Hadriano demum usque Constitutiones Cæsareæ in Codicem Gregorianum, Gallieno circiter imperante, collectæ sint. Non aliæ verò Cæsarum omnium usque ad Constantinum Magnum Constitutiones ætatem aliquam sunt nactæ, quàm illæ quæ in Codice Gregoriano & Hermogeniano locum aliquem invenerunt: cùm fuerint tamen fere infinitæ. Voluit verò quondam tantùm non omnes, (*Rescripta* scilicet, quæ bonam Constitutionum partem absolvunt) tollere Macrinus Imperator. Ita enim de illo testatur Capitolinus: *Fuit in jure non incallidus, adeò ut statuerit omnia Rescripta veterum Principum tollere; ut jure non Rescriptis ageretur; nefas esse dicens, leges videri, Commodi & Caracallæ & hominum imperitorum voluntates, cùm Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta perferrentur,* *Cæsareæ Constitutiones plurimùmque mutavere.*

ferentur, quæ ad gratiam composita viderentur. Tametsi vero ille Macrini conatus irritus fuerit & (ceu ante diximus) à Gregorio pariter & Hermogene JCtis magna diligentia collectæ fuerint Cæsareæ constitutiones, ad Constantinum usque, duos in Codices; omnibus tamen illis vim atque auctoritatem, novo Codice edito, Theodosius secundus Imperator detraxit. In Novella certè ejus primâ hæc verba legas: *Quamobrem detersa nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ sunt, compendiosam Divalium Constitutionum scientiam ex D. Constantini tempore roboramus: nulli post Kalendas Januarias concessâ licentiâ, ad forum & quotidianas advocationes jus Principale deferre, vel litis Instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, qui in nostri nominis vocabulum transierunt, & sacris habentur in scriniis.*

Jurisconsult. Romanorū veterum ingens olim fuit discordia.

Postremò & Jurisprudentes ipsos Romanos, quibus auctoritatem condendi Juris primus Augustus concessit, (alios enim non tangimus) usque ad Marcum Imperatorem, totas in sectas divisos fuisse constat, latissime diffundente sese sententiarum divortio. Exinde nonnihil moderatiores fuerunt res quidem: attamen nec ita dissidium omne quievisse, ex ipsiusmet Cæsaris Justiniani querelis palàm est. Ille scilicet in universum affirmat, *Romanam sanctionem intestinis præliis vacillasse.* Jamque tùm Cæsarem illum audivimus conquerentem, de discordia interpretum Edicti perpetui: hi vero omnes utique post Hadrianum vixere. Tantum nimirum illorum fuisse dissidium, ut ne rursum daretur *legibus occasio seditionis & dubitationis,* territus exemplo interpretum Edicti, vetuerit Imperator, Codici suo commentarios addere. Cum porro Jurisprudentum illorum scripta in duo millia librorum extende-

renderentur. (Amelius enim dicens, *Iurisprudentiam multorum camelorum onus esse*, videtur respexisse simul & illos, *quorum scripturæ seu libri ad Ius pertinentes nullis auctoribus in forum recepti vel usitati fuerunt*, quosque proinde ab aliis rectè segregat Imperator Justinianus) pauci tamen admodum in judiciis vim aliquam & auctoritatem denique retinuerunt: ut reliquorum dignitatem tandem periisse, necessum sit. Imperator sanè affirmat, *sex tantummodo libros, & ipsos confusos, & jura utilia in se perrarò habentes, à voce magistra Iuris studiosos accepisse*. Indubie verò igitur non plures in foro retinuerunt aliquem locum; cum judicia à juris peritis in scholâ edoctis regerentur. Imo verò diserte idem Imperator ait: *Homines qui antea lites agebant, licet multæ leges fuerant positæ, tamen ex paucis lites proferebant, vel propter inopiam librorum, quos comparare iis impossibile erat, vel propter inscientiam: & voluntate judicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur.*

Ex quibus omnibus id utique est sole clarius, saltim ante Justinianum, ipsismet Romanis nunquam fuisse persuasum, suas leges esse simpliciter omnium optimas, ac tales quas mutare sit nefas, quasque adeò recipere debeant omnes populi omnesque reipublicæ, ututà monarchico statu, plurimum abeuntes. *Patet ergò, Romanos, antè Iustinianum Iuris sui imperfectionē agnovisse.*

At verò nec ipsemet Justinianus Corpori suo tantas laudes tantamque perfectionem attribuit. Id quidem ille sibi persuaderi passus est, omnem suis auspiciis confusionem, obscuritatem, dissonantiam, & superfluitatem Romani Juris, quibus illud vitiis antehac gravissimè laboraverat, feliciter sublatam, (assecutus id fuerit nec ne, non est hujus loci agitare) nequaquam tamen existimavit, ita perfectum sese Ius illud dedisse, ut vel solis Romanis rebus omni ex parte illud semper sufficiat; multo minus ut sit idoneum omnium *Iustinianus Imperator itidem fassus est, Ius suum non esse omnino perfectum, sed aliquando mutandum.*

 aliarum

hujus contemptoribus, cum Aristotelis voluerint haberi sectatores, ipsemet Aristoteles debuerit meritò linguam temperare? Is videlicet ipse Aristoteles passim laudat δικαστικὴν peritiam *Prudentiæ* cognomento: nec tamen aliam ille legum peritiam judici inesse debere existimavit, quàm illam qua de nunc sermo est. Ineptè sanè Prudentiæ titulus ideò denegatur huic peritiæ, quod rationē juris nesciat. Ipsæ scilicet leges & mores huic Prudentiæ sunt loco rationum. Inverso nempe ordine procedit ἡ νομοθετικὴ & δικαστική. Illi leges sunt opus aut conclusio: huic principium concludendi aliquid de negotijs civilibus. Nec verò cui legis auctoritas pro norma est, is abs ratione agit. Id sane affirmare, cum injuria est conjunctum non duntaxat legibus obsequentium, sed etiam judicum omnium.

Potissimū mereri Iurisprudentiæ cognomentum peritiam juris, qua utilitas & noxa legū intelligitur.

Etsi verò Prudentiæ nomine digna omninò sit talis judiciaria legum peritia: indubiè tamen majoris est Prudentiæ, ipsas legum illarum rationes, atque adeò commoda & noxas, quas illi queant reipublicæ alicui præstare, posse expendere atque judicare. Hoc certè usum maximum humanæ vitæ adferre est idoneum. Certè civitati plus commodi præstare aptus est is, qui tenet legum civilium utilitatem & noxam; quàm qui novit duntaxat, secundùm leges & mores usitatos controversias civiles decidere. Ac proinde plus in illa peritia est prudentiæ.

Hanc Iurisprudentiam reperiri oportere in rectore reipublicæ.

Et sanè in illo qui reipublicæ præsidet, sive auctoritate sive consilio, non tam illa quam hæc Prudentia unicè requiritur. Perinde ut Iudici illa ferè sufficit, hæc non nisi leviter adsit necessum est. Nec verò rempublicam probè administraveris, si ignores, num leges & mores recepti rectè sese habeant, & si non habeant, quatenus corrigi debeant

ant & mutari. Enimverò non est quod nos turbent illa Neratij : *Rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt subverterentur.* Agit enim ille non de reipubl. præside sed de judice, & quidem illo, qui in judicando non tàm legum normam velit sequi quam sui animi ratiocinationes. Iudici sanè illam si permittas licentiam, subvertentur multa ex his quæ sunt certa, & legum tandem ipsis in judicijs non nisi inanis umbra superforet: quo nihil est civitati perniciosius. Dispar verò multùm est ratio Iudicis, & illius qui ad reipubl. sedens clavum, civitatem omnem gubernat atque administrat. Usque sanè adeò, ut quod hujus est in officio, id alteri ne quidem extremo, ut ajunt, digito fas sit attingere.

Sed hoc discrimen variæ lati juris peritiæ, quodque adeò hæc demum præ alijs Prudentia juris sit, quum reliquæ nonnullæ non nisi commune illud Peritiæ nomen mereantur, intelligere fortasse non multum est difficile. Videtur sane illa jam assecutus, ipsemet ille meus stupidus adversarius. Novisti hominem, Vir Magnifice, ideoq; nolo ejus nomine chartas maculare. Etsi enim antehac me petiisset isthac sua quæstione: *An probabilis sit novatorum distinctio inter juris Peritum & juris Prudentem?* inque solemni Panegyri eam adversus me curasset ab aliquo duponndiorum suorum magnis clamoribus agitari; in nuperrimis tamen thesibus scripsit, *cardinem controversiæ nostræ* versari, in ijs quæ Hopperus habet initio tituli 13. libri quarti, ibi vero ab Hoppero grauissimis verbis sententiam meam damnari. Summa autem doctrinæ illius loci est: *Politicam legum interpretationem, in Senatu & republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum rectè latæ sunt inquiritur, potissimum versari: eoq; nec in communibus*

Variam esse Juris peritiam, & ultimam maxime dignā titulo Iurisprudētiæ, non autē sine discrimine omnem; etiam adversarius meus agnovit.

scholis tractari debere, ubi leges ipsas juvenes, nisi triginta quinque annos nati & composito sint animo, non autem judicium de legibus, quas ut decet colere oportet, addiscere debent: neque in foro & tribunali, ubi secundum leges non de iis est judicandum. Quorum cum nihil advertetur illi à me propositæ inter juris Peritiam & Prudentiam differentiæ, sed potius ipso statim initio illam roboret, videtur ille homo, velle hoc jam incauto lectori persuasum: quasi de ipsa illa differentia nihil inter nos fuerit controversiæ, sed fortè de eo; an juris lati Prudentiam vel censuram Politicam fas sit in communibus scholis doceri, idque ipse negaverit cum Hoppero, ego affirmaverim. Qualibus figmentis (nec enim illam quam fingit controversiam ego unquam verbulo tetigi) mos est hominis, quærere effugia, quando captus & convictus est: tanquam scilicet hac ratione in tuto collocetur illius pristina jamque agnita inscitia.

Forensem prudentiam juris nõ mereri Iurisprudentiaam bitiosum elogium, ab aliis quoque animadversum est: atque idео corbi, diversa tamen ratione, cogitarũt de formanda

Viderunt verò & alij nonnulli magno ingenio doctrinaq; illustres Iurisconsulti Romani, pragmaticam illam forensemq; peritiam non æquare pondus, quod inest nominibus, quibus in ipsis Pandectis Iustinianeis Romani juris Prudentia extollitur, eòque cogitaverunt de facie aliqua Artis aut Scientiæ illi concilianda, modis tamen & conatibus multùm diversis. *Alij* nimirum id dederunt operam, ut legum illarum cum æterno jure æquitateque consensum ostenderent: rati hoc esse demum veram & non fucatam juris Philosophiam profiteri. Laboraverunt *Alij* in eo, ut communissimis quibusdam axiomatibus niti plurima corporis Iustinianei pronunciata, docerent: hoc sanè potissimum fuit curæ Matthæo Gribaldo. *Alij* denique si ex pronunciatis Iustinianeis communioribus, nullo naturalis aut positivi iuris facto discrimine, fluere multa alia monstrarent,

ftrarent, hoc ipfo fefe Iuris fcientiam tradere arbitrati funt: quà in fententia fuiffe Antonium Fabrum prodit fanè ejus Scientia Iurifprudentiæ Papinianeæ. *vera aliqua Iuris fcientia.*

Verum enimvero tot præftantium virorum conatus nemo æquus arbiter non laudaverit quidem plurimùm: neque fibi tamen illi neque alijs cordatioribus fatisfecerunt. Quo factum, ut nonnulli haud dubitaverint apertè profiteri, nulla effe latarum legum certa principia, & fruftra in Scientiâ Legum comparanda laborari. At verò de hifce quidem aliàs. *Cõatus illi laudabiles quidẽ funt, non affecuti tamẽ, quod voluerũt.*

Ut autem cum illis reliquis nunc agamus. Utique demum in principiorum verorum indemonftrabilium neceffariorumque notitiâ rerum fcientiam fitam effe, caret dubio. Quæ illi verò attulerunt, non profectò funt Legum, five Romanarum five aliarum, vera fundamenta ac propria principia. *Aberrarunt in ipfis Legũ veris principiis.*

Faber fanè quæ produxit ab illo ordine abfunt longiffimè: quod nemo non mecum judicabit Analytices peritus, faltim qui infpexerit opus illud Papinianeæ fcientiæ, cœtera eximium. *Ant. Faber.*

Axiomata à Gribaldo producta funt illa quidem principia legum atq; actionum humanarum, perinde atq; rerum naturalium aliarumque penè omnium, (funt enim ex Metaphyficis magnam partem petita) attamen illa Metaphyfica atque adeò communia (perinde atque Phyfica Mathematica atque Moralia, quæ itidem inveniunt fuum locum in Politicis aut Nomotheticis demonftrationibus interdum, ceu alibi docemus pluribus) non funt verè propria domeftica & proxima potiffimaque Legum principia, quæ maximè tamen idonea funt demonftrandæ Legum rectitudini. Et verò etiam illa communia tum demum in demonftra- *Matth. Gribaldus.*

monstratione inveniunt locum, quando ad materiam specialem restricta merentur pro domesticis accipi.

Etiam illi qui in Legum ad Iustitiam naturalẽ exactione collocant Iuris Scientiam.

Magis ad rem solent accedere illi, quos primo loco commemoravimus. At profectò in nulla republica leges omnes condi solent, quoniam ita jubeat naturalis æquitas: eòque illa quidem non est legum civilium primum principium. Enimverò, saltim plærarumque, Legum etiam optimarum ea est natura & conditio, ut naturaliter justæ sint haud alio sensu, quam quod non sint injustæ, sive quod naturali juri haud adversentur: (prout vox justum est πολύσημον) non quod Natura ipsa ita sanxerit. Positivæ enim utique sunt Leges plæræque: atque adeò vim justi naturalis non assequuntur. Quæ Natura nimirum simpliciter quidem jussit per sunt pauca, plura ex hypothesi constituit; at negotia civilia longè ampliorem normam exigunt. Quinimo ea etiam quæ Natura vetuit impunè permitti, quæ mandavit non mandari, in civitate interdum est necessum.

Ex ipso Corpore Iuris Iustinianeo palàm est, potissimum Iuris principiũ esse utilitatẽ.

Enimverò mirari sæpè subiit, qui potuerint multi adeo præstantes doctores ita cespitare circa ipsa Iuris principia: cum Iustinianus tamen Cæsar diserte & frequenter adeò, idque verbis optimorum maximorumque Romanæ jurisprudentiæ scriptorum, quæ Iuris quidem Civilis Romani in universum rationes sint ac fundamenta, omni orbi propalaverit. In ipsum Titulum de Legibus recepit utique Cæsar ille hæc Pauli: *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam VTILITATEM, auctoritate constituentium introductum est.* Hæc item Modestini: *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro VTILITATE hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum COMMODVM producamus ad severitatem.* In ipso Titulo de Iustitia & Iure hæc Ulpiani

sunt

ſunt verba: *Publicum jus eſt quod ad STATVM rei Romanæ ſpectat, Privatum quod ad Singulorum VTILITATEM: ſunt enim quædam publicè VTILIA, quædam privatim.* Ibidem ſcripſit Paulus: *Jus dicitur altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate VTILE eſt: ut eſt Jus civile.* Ipſiusmet Papiniani hæc verba ſunt de jure Prætorio: *Ius Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi Juris civilis gratia, propter VTILITATEM PVBLICAM.* Titulus de Conſtitutionibus Principum habet hæc verba Ulpiani: *In rebus novis conſtituendis evidens eſſe VTILITAS debet, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum viſum eſt.* Idem planè de Jure publico & privato Romano, tyronibus ipſis inculcatum voluit Cæſar, ſtatim initiò Inſtitutionum. Imò idem quoque non obſcure de Jure gentium voluit doceri illos ipſos Titulo ſecundo: *Jus gentium,* inquiens, *omni humano generi commune eſt; nam VSV EXIGENTE ET HVMANIS NECESSITATIBVS, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt.* Mitto alia complura, vel enim ex hiſce paucis ſatis conſtat, principium, ſaltim magnum, Civilis & Gentium juris, Juſtiniano Cæſare & ipſis illis Juriſconſultorum Romanorum omnium primatibus auctoribus, eſſe *utilitatem.* Quid? quod (ſi benè rem explices) non alia ſit ipſiuſmet Naturalis *juſti propè mater & æqui.* Etiam hoc ſcilicet producitur quaſi ab Utilitate naturæ ejus quæ humano eſt generi communis. Verùm id ſubtilius eſt fortè quàm ut huic loco conveniat: alibi tamen ſeorſim à nobis demonſtratur. Illud abunde jam eſt manifeſtum, Romani atque adeò omnis Civilis juris, maximè proprium atque domeſticum principium ac fundamentum eſſe, civilem utilitatem. Si ſane fides habenda eſt Cæſari ipſi Juſtiniano atque optimis maxi-

mis illis consultis juris: habenda autem meritò est, cum pariter omnium prudentum sententiâ, & evidentibus rationibus, demonstrare id in promptu sit.

Falluntur ergo qui Leges positivas cœco arbitrio stare existimãt.

Hoc ipso autem simul palàm fit, quantum illi & à recta ratione & ab ipsorummet optimorum juris Romani conditorum sententia aberrent, qui Leges positivas civiles nullo certo niti fundamento, sed solo cœco arbitrio stare vel cadere arbitrantur. Verùm non est quod illa nunc nos morentur.

Vtilitatẽ Iuris constituti licet certa quadam scientia intelligere.

Cæterum utilitatem constituti juris intelligere, (quâ in re consistere si non omnem saltim potissimam ejus, si qua est, scientiam, quamve notitiam summè commodam esse omni illi qui ea quâ par est ratione reipublicæ suæ studet consulere, affirmavimus) possit forte videri difficilius, quam ut hominibus assequi sit concessum. Certe paucissimos reperias, qui viam rationemque id consequendi tradere sint aggressi. Verum enimverò nec ego quidem negaverim, paucos admodum id certâ quadam via ac ratione agere: usus tamen docet, tantâ sic satis multos pollere judicij acrimonia, ut vel naturâ vel usu longo comparatâ ingenij facultate, commoda & noxas recepti juris optime atque exacte comprehendant. Utique enim videas multos leges receptas corrigere, supplere, mutare, antiquare, imò & novas condere, insigni felicitate: quod profectò fieri non potest, nisi usu & noxa legum intime perspectâ. Vobis certe Magnifice LANGENBECI, qui ad clavum reipublicæ sedetis, familiare hoc est; inque eo non exigua pars vestræ est prudentiæ, & præclarorum de publico meritorum laudis, collocata. Si faciunt autem hoc multi (ut faciunt) vi quadam ingenij, ergo etiam certâ quadam viâ & arte idem effici potest. Licet enim

utique

utique observare, & in unum cogere illos modos, quibus utuntur in isto felice Legum judicio illi ingeniosi. Quod est viam certam atque artem quandam producere. Hac sanè ratione omnes artes initiò sunt conditæ. Si verò certa quadam via judicium instituatur, non potest non profectò illud cum summo reipubl. gerendæ commodo esse conjunctum; multum sanè illa methodus præstiterit isti, solis ingenij dotibus innixæ facultati.

Evidens hoc usque est adeò, ut etsi pauci, nonnulli tamen, meditati sint Juris quam vocarunt artem condere. Utinam verò par successus omnem illorum conatum excepisset! At nonnulli statim in ipsa janua, ut ajunt, impegerunt, Artem istam juris collocantes in dispositione quadam concinna legum Justinianearum: quasi illam qui teneat jam sit artifex legum simpliciter omnium. At nec ego quidem haud negaverim, isthoc sensu memorari: Ciceronem cogitasse *de jure civili* (Romano scilicet) *in artem redigendo*, & Celsum JCtum dixisse; *jus*, h. e. Leges Romanas, probo ordine collocatas, *artem esse boni & aequi*. At illa quoq; ipsa vocis *artis* usurpatio multum abit à verò ejus usu: & ejusmodi profectò ars, ad commoda atque incommoda legum pernoscenda, omnino nihil valet. Nec verò vel ipsius Romani juris usum aut noxam illius beneficio assequaris; tantùm abest, ut illa te idoneum reddat alterius civitatis legibus arbitrandis.

Perperā à nonnullis, Iuris ars in proba dispositione Legum Romanarum posita est.

Haud me latet, ea nonnullos erga Romanum jus duci superstitione, ut tanquam certum indubitatumque habeant, esse illud omnibus numeris perfectum commodumque; non correctionis porrò, non mutationis capax; aptum denique & sufficiens omnibus rebuspublicis: eoque ad illud Jus, quicquid alibi tenetur, tanquam ad normam exigendum

Perperā iidē censuere. Ius Romanū solum verē Ius esse, & aptum

omnibus rebuspublicis. dum; ut illud scilicet ubivis sit utile quod huic conveniens, illud noxium quod ab hoc dissentit. Verùm hæc quidem postulata (postulant enim hæc credi, nulla cùm sint ratione instructi) excedunt modum. Et verò satis insaniæ illi (insania enim mera est) confutandæ sufficit communis omnium gentium, omnium rerumpublicarum, omnium seculorum, ab hoc placito dissensio.

Ipsimet Romani prisci longe secus de suis Legibus judicarunt. Nec enim ipsosmet Romanos exceperim; utpote qui nunquam adeò inepta superstitione leges suas sint venerati, sed semper ultrò fassi, maximam partem suarum legum esse jus suæ civitati proprium, ut Atheniensibus Atticum, atque pro usu exigente mutabile, solis *naturalibus legibus semper firmis atq; immutabilibus permanentibus.*

Romani suas Leges XII Tabularum usu exigente mutaverunt. Imò verò quas ipsimet leges suas non mutavere? Utique enim prima & maxima auctoritas fuit decem Tabulis: his statim additæ duæ, ubi animadversum, *deesse aliquid istis primis legibus*, (ut loquitur ipse Pomponius) neve crederetur vel sic ferendis legibus impositum finem, ipsimet undecimæ Tabulæ hanc legem inseruerunt: *Quod postremum Populus jussit, id jus ratum esto.* Eopse pene tempore, (si Pomponio credimus: non mereri autem in omnibus fidem, dudum doctis innotuit) *compositum prudenter illud Ius Civile* quo *disputatio fori* comprehensa, & confectæ *Actiones legis* quæ formulis (non dicam qualibus; Justinianus ipse illas appellat *antiquæ subtilitatis ludibria*) constabant. *Secutus inde immensus aliarum super alias acervatarum legum cumulus*, ceu dicebat Livius; imo (ut Tacitus loquitur) *perventum est ad multitudinem ac varietatem legum infinitam*; adeò, ut quemadmodum *antehac flagitiis ita tunc legibus sit laboratum.* Quo malo Julius Cæsar permotus, teste Tranquillo, *Jus civile ad certum modum redigere*

gere atq; ex immensâ diffusâq; Legum copia optima queq; & necessaria in paucissimos conferre libros destinavit.

Nec verò mansit duodecim Tabulis primus honor: imo tantam non omnis earum vis, *nisi in Legis Actionibus centumviralium causarum*, jam ante Cæsarum ætatem, *lege AEbutia latâ consopita est:* quod Juris peritus quidam jam olim Aulo Gellio respondit. Et verò testis est Ludovicus Charondas, in fragmento quodam Romanæ antiquitatis sibi repertum: *L. AEbutius Tribunus plebis, vir popularis, legem tulit ad populum, ut XII tabularum capita, quæ inutilia essent reipublicæ, tollerentur: quæ lex multis contradicentibus tandem lata est.* Ille certè Jurisperitus Gellianus, Hadriani ævo non dubitavit profiteri, interpretationem Decemviralis Juris non magis ad se pertinere, quam Juris Faunorum & Aboriginum. Eadem tempestate ipse Sextus Cæcilius, præstans sanè Jurisconsultus, fassus est Favorino, *Plerisq; ipsis duodecim tabularum Legibus jam populum Romanum uti desiisse*, addita excusatione: *Legum opportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proq; vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atq; flecti, neq; uno statu consistere; quin, ut facies cœli & maris, ita rerum ac fortunæ tempestatibus varientur.* Et verò utique Romanus Populus non ipse tantum processu temporis plæraque mutavit suis Senatusconsultis & Plebiscitis; sed & Prætoribus suis facultatem concessit (bene an secus jam non disputo) *leges corrigendi adjuvandi & supplendi.*

Lex XII Tabularum tandem tota est antiquata.

Populus ipse Romanus multum detraxit auctoritati XII Tabular. cumprimis per Edicta Prætoria.

Jam verò & Prætorum illud Honorarium Jus, quam instabile initiò fuerit, non passus est nos ignorare Dio: *Prætores*, inquiens, *omnes ea jura, secundum quæ jus ipsi dicturi essent albo inscripti proponebant. Nec enim*

Ius Prætorium fuit inconstans usque ad conditum Edictum perpetuum.

jura & leges omnes ad contractus pertinentes exprimebant, nec id uno eodemque tempore faciebant, nec abs se scripta servabant; sed alibi mutabant scripturam sæpius, & in hac re multa, ceu facile creditu, ad gratiam vel odium quorundam fiebant. Igitur C. Cornelius Tribunus plebis *rogationem tulit, ut & statim à principio Prætores prædicerent, quo Iure essent usuri, & deinde nequaquam ab hoc deflecterent.* Illa Prætorij Juris major solito constantia cœpit quidem anno v. DCXXCVI; fuit tamen perexigua. Quemadmodum nimirum ipsa Prætura annua fuit, ita & Edicta Prætorum non nisi annalia. Plurimùm enim falluntur, qui rogatione Cornelia majorem stabilitatem arbitrantur Edictis datam esse: quum utique Cicero ipse adhuc disertè affirmet: *qui plurimùm tribuunt Edicto Prætoris, Edictum Legem annuam esse dicunt.* Jussu demùm Hadriani Cæsaris à Salvio Juliano conditum est *Edictum* illud *Perpetuum* vocatum.

Ipsum Edictum perpetuũ laboravit plurimũ discordia commentantium.

Non vana quidem appellatione, si conferas cum antegressis temporibus, quando *variè illud inconditeque à Prætoribus promebatur*, ut Aurelij Victoris verba mutuemur: at non eo tamen sensu, quasi nec addere nec demere aliquid illi fas fuerit. Ipse *divus Hadrianus* (verba sunt ipsiusmet Cæsaris Justiniani) *in compositione Edicti hoc apertissime definivit; ut si quid in Edicto positum non invenitur, hoc ad ejus regulas, ejusque conjecturas & imitationes, possit nova instruere auctoritas.* Sed & factâ Jurisconsultis Edictum interpretandi facultate, horum commentationibus penè illud enervatum fuit. Justinianus sane conqueritur: *Antiquos Edicti Perpetui commentatores opus moderatè confectum in infinitum distraxisse, ut penè omnis Romana sanctio sit confusa.* Item: *in antiqui Edicti factum esse ordinatione, ut illud brevissimum constitutum, ex differentium commentantium differentia*

ferentia seu diversitate, in infinitam extenderetur multitudinem. Certè ipsum illud Edictum commentariorum mole & discordia tandem quasi suffocatum videtur; atque ita evanuisse.

Eadem inconstantia fuit Senatusconsultorum & Plebiscitorum. Tacitus de ijs non dubitavit profiteri; duodecim Tabulas *finem æqui juris*, sive ejus quæ æqualitatem conservârit inter Plebem & Senatum, *fuisse: secutas autem leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaq; ob prava, per vim latas esse.* Plæraque verò etiam illorum, statim Cæsarum ævo, vim omnem legis perdiderunt. *Senatusconsulta & Plebiscita Romana fuerunt itidem inconstantia.*

Ipsissimet porrò Cæsareis Constitutionibus utique nihil incertius fuit & inconstantius. Citò profectò perierunt omnes quæ Hadrianum antecessere. Nec enim aliam temere dederis causam, quare ab Hadriano demum usque Constitutiones Cæsareæ in Codicem Gregorianum, Gallieno circiter imperante, collectæ sint. Non aliæ verò Cæsarum omnium usque ad Constantinum Magnum Constitutiones ætatem aliquam sunt nactæ, quàm illæ quæ in Codice Gregoriano & Hermogeniano locum aliquem invenerunt: cùm fuerint tamen fere infinitæ. Voluit verò quondam tantùm non omnes, (*Rescripta* scilicet, quæ bonam Constitutionum partem absolvunt) tollere Macrinus Imperator. Ita enim de illo testatur Capitolinus: *Fuit in jure non incallidus, adeò ut statuerit omnia Rescripta veterum Principum tollere; ut jure non Rescriptis ageretur; nefas esse dicens, leges videri, Commodi & Caracallæ & hominum imperitorum voluntates, cùm Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta perferrentur,* *Cæsarea Constitutiones plurimumque mutavere.*

tenderentur. (Amelius enim dicens, *Iurisprudentiam multorum camelorum onus esse*, videtur respexisse simul & illos, *quorum scripturæ seu libri ad Ius pertinentes nullis auctoribus in forum recepti vel usitati fuerunt*, quosque proinde ab aliis rectè segregat Imperator Justinianus) pauci tamen admodum in judiciis vim aliquam & auctoritatem denique retinuerunt: ut reliquorum dignitatem tandem periisse, necessum sit. Imperator sanè affirmat, *sex tantummodo libros, & ipsos confusos, & jura utilia in se perraro habentes, à voce magistra Iuris studiosos accepisse.* Indubie verò igitur non plures in foro retinuerunt aliquem locum; cum judicia à juris peritis in scholâ edoctis regerentur. Imo verò diserte idem Imperator ait: *Homines qui antea lites agebant, licet multæ leges fuerant positæ, tamen ex paucis lites proferebant, vel propter inopiam librorum, quos comparare iis impossibile erat, vel propter inscientiam: & voluntate judicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur.*

Ex quibus omnibus id utique est sole clarius: saltim ante Justinianum, ipsismet Romanis nunquam fuisse persuasum, suas leges esse simpliciter omnium optimas, ac tales quas mutare sit nefas, quasque adeò recipere debeant omnes populi omnesque reipublicæ, ututà monarchico statu, plurimum abeuntes.

Patet ergò, Romanos, antè Iustinianum Iuris sui imperfectionē agnovisse.

At verò nec ipsemet Justinianus Corpori suo tantas laudes tantamque perfectionem attribuit. Id quidem ille sibi persuaderi passus est, omnem suis auspiciis confusionem, obscuritatem, dissonantiam, & superfluitatem Romani Iuris, quibus illud vitiis antehac gravissimè laboraverat, feliciter sublatam, (assecutus id fuerit nec ne, non est hujus loci agitare) nequaquam tamen existimavit, ita perfectum sese Ius illud dedisse, ut vel solis Romanis rebus omni ex parte illud semper sufficiat; multo minus ut sit idoneum omnium

Iustinianꝰ Imperator itidem fassus est, Ius suum non esse omnino perfectum, sed aliquando mutandum.

aliarum gentium rebuspublicis moderandis, aut quod debeat esse jus commune omnium hominum. Ingenuè & prudenter optimus Imperator, in ipsa Constitutione quâ Digesta confirmavit, diserte aurea hæc verba reliquit scripta: *Sed quia divinæ quidem res perfectissimæ sunt, humani verò juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in ea, quod stare perpetuo possit, (multas etenim formas edere Natura novas deproperat,) non desperamus quædam postea emergi negotia*, (scribendum autem censeo: *non dubitamus quædam posse emergere*) *quæ adhuc legum laqueis non sunt innovata* (rectius: *innodata*). Mox sanxit: *si quid tale contigerit*, h. e. si novam legem Romanæ reipublicæ usus exegerit, *Augustum implorandum esse remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuerit, ut possit omnia quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere*. Nec vero (ceu ante sueverat, saltim ad Constantinum Magnum usque) Jurisconsultis voluit concedere hanc facultatem: prudentissimo consilio; præsertim cum illorum interpretationes Romanum Ius (si Justiniano credimus) dissidiis suis corrupissent, & nimia onerassent mole. Non autem sanxit ita solùm Imperator, sed reapse complura eorum quæ in Digestis & Codice definierat, totis centum sexaginta octo Novellis mutavit: idque non unius Triboniani consilio, ut multi huic iniquiores calumniantur, sed Triboniano etiam dudum defuncto. Et verò mortuus hic est anno Justiniani undevigesimo, Justinianus verò annis triginta octo & mensibus septem Imperio præfuit. Quo ansam dedit infesto calumniatori Procopio, ut scriberet, *illo Cæsare nullum fuisse stabile jus*.

Justinianus non censuit suum Ius esse aptum omnibus populis, sed soli tum Romano Imperio

Voluisse porrò laudatissimum Imperatorem, suum illud Ius, omnibus populis extra Romanum Imperium collocatis, aut diversis aliis rebuspublicis, non tantùm non obtrudere,

trudere, sed nec commendare tanquam omnibus utile atque idoneum, argumento vel unum illud est: quod id ipsum nusquam in universo Corpore habeatur. Ineptè profectò huc trahuntur illa: *Omnes populi legibus tam à nobis promulgatis quàm compositis reguntur.* Sermo enim ibi est, de populis Imperio Romano tunc subditis. Quo sensu nimirum dixerant jam olim Imperatores, Gratianus Valentinianus & Theodosius: *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium:* & passim florentibus Romanorum rebus loqui mos fuit. Ex adverso autem ita de jure suo omni ille ipse Imperator etiam tyrones instituit: velle se *exponere jura*, non simpliciter, sed *populi Romani.* Hujus porrò Iuris id quod *publicum* dicitur esse illud, *quod ad statum*, non omnium gentium, sed *rei Romanæ spectat.* *Privatum jus collectum esse ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.* Esse porrò *Ius civile Romanorum*, non quo omnis civitas, sed *quo Populus Romanus utitur: Populum enim Romanum partim suo proprio, partim communi hominum jure uti.* Perinde videlicet atque *omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio partim communi omnium hominum jure utuntur: nam quod quisque Populus ipse sibi jus constituit id ipsum proprium civitatis esse, vocarique Ius civile, quasi jus proprium ipsius civitatis.* Porrò *naturalia quidem jura quæ apud omnes gentes peræque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanere: ea verò, quæ ipsa sibi quæque civitas constituit, sæpè mutari solere, vel tacito consensu populi vel alia postea lege lata.* Denique quandonam nova lex fieri debeat, id utilitate æstimandum esse: *in rebus enim novis constituendis evidentem esse utilitatem debere, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum visum.*

Hæc est perpetua & constans ipsiusmet Justiniani doctrina de Jure suo; consentanea rectæ rationi & Prudentiæ civili *Iustiniani de suo Iure sententia differt plu-*

timam à vulgaribus doctorum quorundã placitis.

civili gubernandarum rerumpublicarum. Quæ immane quantum dissidet ab illis insanis placitis, quæ magistrorum nonnulli hodie orbi persuasum eunt: Justinianeum Ius omne esse velut cœlitus datum jus, quo omnes respublicæ atque adeò omnes homines debeant regi, idque nulla unquam facta mutatione: non observari quidem illud plenè passim, sed cum injuria id fieri & contra æquitatem. Quæve similia sunt umbraticorum aliquot hominum: (hi enim soli ista solemnia delirant) portentosa somnia.

Qui fiat tamè, ut passim hodie usum inveniat Ius Iustinianum.

Quamvis verò istorum crassissimorum errorum ratio non difficulter pateat omnibus, qui in Republ. & Consilio de civilibus negotiis probè instituendis occupati, saltim usu quotidiano edocentur, si aliunde fortassis haud acceperint, quàm alienum sit à gerenda republica, eâque bonis legibus moderanda, ad sola Justinianea respicere, iisque pro unicâ normâ adoratis, id demum salutare arbitrari, quod Iuribus illis est conveniens; solet tamen incautiores id nonnunquam reddere aliquantulùm ambiguos: si Ius Justinianeum est uni populo Romano, qualis ille fuit tempore conditi istius Iuris, commodum, qui ergo fiat, ut illud tantùm non in universa Europa sit receptum, quasi in communem omnium tot populorum legem, qui tamen reipublicæ forma multùm dissident. At verò observandum est, Ius illud Justinianeum non solùm civilia sed etiam naturalia & gentium jura comprehendere, quæ communis est ratio omnis legum corporis, quo aliqua civitas utitur. Eam porro esse omnium civitatum naturam, ut salvo statu suo multa queant habere communia, etiam civilia instituta, præsertim si non aspirent ad accuratam felicitatis civilis possessionem. Cum Monarchico denique statu omni, Imperium Romanum illud vetus maximè convenire; ac proinde, cùm Leges illæ Justiniani idoneæ

fuerint

fuerint Imperio Romano, saltim plurimas earum locum aliquem in similibus Monarchiis posse invenire. Jam verò nusquam terrarum plene Ius illud receptum est. Nec recipi potest: præsertim si publicum Ius spectes. Privati Iuris non nisi illa passim obtinent, quæ communia vel sunt omnium hominum, vel esse possunt rerumpubl. illarum, quæ perfectionem summam suæ formæ curant negligentiùs, aut certe quo populi subditi ratione n nō adeò accurate habentes, permittunt illum quidem vivere secundùm leges dominatui idoneas, modo aliis legibus sit cautum illis quos penes est summa reipublicæ potestas. Si quippe etiam illi velint privatum illud Ius Justinianeum inter sese observare, brevi tota eorum respubl. mutaretur. In Monarchias recipi juris illius plura possunt, propter similitudinem quam habent magis minusve cum Imperio isto Romano vetere. Certè salutem & conservationem status sui non Romano Iuri, sed propriis moribus & constitutionibus, debent Respublicæ quæque ævi nostri: abs quibus si esset, dudum cum Romano illo Iure interiissent. Hinc multæ satis Respublicæ cùm incautius Romanorum illorum justo plura admisissent, magnam pristini status jacturam fecere. Quod usu experti prudentiores, hodie passim locorum, sensim Romanis illis rejectis, res suas propriis statutis in tuto collocant.

Sed (hem!) quantum me detinet illa nonnullorum superstitiosa Romani Iuris veneratio! Fortassis verò haud abs re fuit, nonnihil prolixius (cum rationibus multis abstinere ipsum nostrum hoc institutum jubeat) saltim propria, Romanorum prudentum Cæsarumque, ac spontanea confessione, ostendere, quàm superstitio illa non sit consentanea ipsimet Romanorum menti; imò quàm illa vehementer isti adversetur. Præsertim cum speciem normæ omnium legum

Excusatio digreßionis factæ de Iuris Romani nimis superstitioso cultu.

Romano Iuri falsò affingens, veram genuinamque legum in usum civilem censendi arbitrandique scientiam, quantum in se est, propellat, summo cum rerumpublicarum detrimento. Nec verò fas est, ut ad tam pestilentes errores boni atque intelligentes conniveant, offensæ metu potentis factionis.

Examinare Legum latarum utilitatem, munus est Prudentiæ Legislatoriæ.

Ut redeamus autem in viam; esse aliquam scientiam, qua liceat examinare leges quasque, utiles ne sint rebuspublicis an non sint, hoc quidem jam palàm est: ut &, frustra illam ab aliquâ Romani juris peritia exspectari. Non difficile verò etiam hoc definitu est, non aliam illam esse, quàm quæ omnibus in universum rebuspublicis leges salutares condere, & noxias novit reiicere. Enimverò primaria omnium legum censura occupatur in earum ad formam quamvis reipublicæ sive publicum statum expensione. Utpote quum *prima* legis cujusque civilis dos sit, statui civitatis suæ utilem, *altera* illi non inutilem esse, etsi ad alias aliquas necessitates civitatis proximè respiciat. Justè igitur probeque legem ut examines, necessum est, naturam ante omnia teneas illius formæ aut illius status reipubl. ad quam examen est instituendum. Ac proinde, ut ad quamlibet formam queas oblatam quamque legem arbitrari, oportet instructus sis omnis generis rerumpublicarum accurata notitiâ; quæ leges scilicet, qui mores, quæ instituta, cuilibet formæ conveniant, quæ noceant atque adversentur. Est autem hoc illius facultatis utique quam Græci olim Νομοθετικὴν appellavere. Nec verò quæ altera scientia commoda & incommoda latæ legis dijudicaverit, quàm illa quæ leges suas cuique rerumpublicarum generi condere atque dispensare idonea est: qualem sese Νομοθετικὴ profitetur.

Legislatoria est verissima Prudentia Iuris.

Et verò hæc demum simpliciter & κατ' ἐξοχὴν JVRISPRVDENTIA nuncupari meretur. Quippe quum omnis alia singu-

singularis civilis juris cognitio, non nisi vel Romani, vel Græci, vel Germanici, ac similis alterius sit juris; atque adeò semper, nonnisi cum aliquâ adjecta nota singularis alicujus civitatis, Prudentia juris meritò dicenda veniat. Sola vero Legislatoria hæc, citra omnem exceptionem ac simpliciter, Prudentiam absolvat juris in universum omnis; quale scilicet in omnis generis civitatibus condi illud & observari debeat.

Legislatoria est pars Politicæ aut Civilis Prudentiæ.

Est autem & hæc Philosophiæ Civilis illius, quàm Politicam appellamus, portio, eaque pernobilis. Nec enim Leges salubres condere, aut à noxiis discernere est, nisi ejus scientiæ, quæ in universum tenet omnia rerumpublicarum discrimina, quidq; earum quamvis servare, quid mutare & corrumpere possit: quod omne curæ est uni Politicæ Prudentiæ. Etsi enim solis Legibus Politica assequi nequeat rerumpublicarum salutem, imò interdum ex usu sit à legibus abstinere, quoniam tamen leges rectæ & salubres optimum sunt ac frequentissimum tutandæ reipublicæ omnis remedium, itaque non nisi portio quidem est Politices ἡ Νομοθετικὴ, eximia tamen & usus maximi. Et verò quicquid in Politica doctrina demonstratur utile esse alicui rerumpublicarum speciei, (variæ autem sunt & multæ species) id omne in legem transit, si opus sit & res ferat. Perinde nimirum atque in Mathematicis ex Theoremate atque Problemate facili negotio fit Canon, qui instar habet civilis legis. Quandonam opus sit autem in leges ejusmodi scita recipere, ut & in universum, quæ leges, quo tempore, quâ circumspectione, quo modo, condendæ corrigendæ abrogandæ sint, atque adeò omne νομοθεσίας negotium, unicè itidem pertinet ad curam Politices sive Civilis Philosophiæ.

Politica scientia magistri tamē Legislatoriam

Utinam verò, quemadmodum hæc omnia pertinent ad Politicam doctrinam, ita ab iis, qui magistri audiunt nobilissimæ

prudentiæ non docuerunt hactenus. lissimæ scientiæ, exactè pleneque sint tradita! At verò & in veterum pariter & recentiorum scriptis haud parum superest quod desideremus.

Non ipse Plato. Princeps omnium apud Græcos Plato de juris & legum veris principiis haud pauca disseruit, cumprimis in opere de Republica. Docuit itidem præclara multa de legibus & institutis illis, quæ ex sua sententia sint observanda in republica, cum eâ quam optando quasi finxit, tum alterâ quam existimavit minore difficultate posse in usum transferri At vero omnis illa de Legum principiis disputatio in eo unicè occupata est, ut refelleret pestilentem, qui jam tum animos hominum cœperat inficere, errorem; quasi jus omne ex sola hominum libidine & arbitrio suspensum, nihil verò ejus stabile & à natura ipsa profectum sit. Leges ipsas porrò & instituta adeò laudata, soli optimæ reipublicæ ipsemet Plato convenire arbitratus est. Longe plura & alia tamen exiguntur ad id, ut fias ferendarum legum peritus, & quidem non in civitate duntaxat optimâ, quæ vel nunquam vel rarissime reperitur, sed omninò in quavis. Ne nunc dicam, quam illa Platonica instituta à vero & recto in quammultis aberrent.

Non etiam Aristoteles. Aristotelis Politica doctrina longè quidem est ad usum commodior, mancà tamen vitio ævi & mutila, plusquam tertiâ & nobilissimâ sui parte. Itaque de iis quæ ad statum publicum omnis generis rerumpublicarum spectant, saltim potissima (nec enim dixerim omnia, imò vix pleraque) sic satis feliciter atque exacte tradita invenias in Aristotelico opere. Ut facile sit, iis, quæ ibi sunt demonstrata, legum aliquam formam indere, atque ad illorum normam omnium rerumpublicarum jura publica saltim potissima examinare. Ipsam tamen νομοθεσίαν (quid nempe in legum latione sit observandum, ut & quænam privatim debeant in optima aut non malè ordi-

nata,

nata, civitate instituta teneri) in illo quidem opere, quale hodie superat, frustra quæsieris. Quamvis ego haud dubitem, saltim horum pleraque virum summum esse persecutum in iis libris qui interciderunt: quum videam & in Ethicis, & in Rhetoricis quoque, præclara multa quæ huc faciant, eum docuisse.

Præter verò hosce duumviros nemo ex omni Græcorum numero reliquus est, qui vel manum huic negotio admoverit. *Multo minus alius aliquis Græcorum.*

Latinos inter scriptores veteres nescio an quis præter unum Tullium aliquid hoc in argumento fuerit conatus: etsi nusquam gentium plures legum peritia inclaruerint. Enimvero quotquot Prudentum juris nomen inter illos sunt assequuti, videas ferè in eo ingenium suum exercuisse, ut jura unius Romani populi interpretarentur ad usum forensem. Quod quidem præclarum & in illa republica fuit utilissimum: à vera tamen juris legumque Philosophia toto, quod ajunt, cœlo remotum esse, ex iis quæ ante attulimus jam palam est. *Non etiam aliquis Romanorum peritorum Iuris veterum.*

Altius legum naturam docere exorsus est Tullius: nec dissimulavit quas credidit fore maxime commodas. Verùm potissima pars nobilissimi voluminis, quo argumentum hoc persequutus est, periit; ita ut non nisi de paucis, quid ex sententia Tullij sit constituendum, appareat. Periit quoque ejusdem Tullii opus de Republica, quo in dubie doctrina hæc itidem fuit illustrata. Ad hoc omnia à Tullio adducta ad usum unius optimæ reipublicæ spectant: de ipsa verò legumlatione habent nihil. Eòque nec ab illo disertissimo viro multum adjumenti est quod Νομοθετικῆς discipulus exspectet. *Vnus Cicero sapuit aliquid circa Legislatoriam: non tamen illam docere potuit.*

T Post

Post Ciceronem nemo hoc argumentum est aggressus, per aliquot secula

Post Tullium verò nemo Latinorum scriptorum, nemo Arabicorum (qui soli tamen aliquot seculis studia sapientiæ æmulati sunt) ultra mille trecentos annos Civilem Philosophiam excoluit quamvis vestigiis veterum inhærens: tantum abest ut eorum quisquam ipsam νομοθεσίαν de qua veterum quoque monumenta plerumque silent, illustraverit. Ex eo tempore, ab eximiis quibusdam viris, quorum alij, in Theologorum, alij Jurisconsultorum, alij in Philosophorum classibus, locum atque nomen consecuti sunt, quæ huc pertinent majore solito cura sunt disputata, quæ merito laudes : si tamen dicendum quod res est, non nisi obiter sparsimque hæc acta, & plærisque νομοθεσίας partibus neglectis.

Primus & unus multum hic conatus est Ioachimus Hopperus.

Princeps (quod equidem sciam) imò unus, utilissimum hunc civilis Philosophiæ locum seriò & data opera aggressus est V. C. Joachimus Hopperus, magno, omnique doctrina veterum Philosophorum pariter ac Jurisconsultorum, ut & pietate morumque insigni gravitate, plane imbuto animo.

Quæ de Hoppero & ejus opere diximus, illa legi rectius possunt in ipsamet nostra operis illius Præfatione.

DE

POLITICA LEGUM INTERPRETATIONE

EXCERPTA EX H. CONRINGII Dissertatione ad Leg. I. Codicis Theodosiani de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis.





HÆc est, nisi vehementer fallimur, mens Legis illius nostræ. Et vero ea exposita, satis jam officio nostro perfuncti queamus videri. At vero multum adhuc abest, ut sensu illo Legis percepto veram ejusdem prudentiam simus assecuti. Nec enim qui tali aliqua ratione tenet sensum Legum, eapse opera simul intelligit, num leges conveniant reipublicæ nec ne: id quod intelligere grande illud Prudentiæ cognomentum quammaxime promeretur. Etsi enim hac scientia destitutus, secundũ leges & controversias decidere, & cavere clientibus, & de jure possis respondere, idque omne agere prudentia quædam sit & quidẽ prudentia juris; utpote quum omnis ea mentis nostræ facultas, quæ humanæ vitæ recte consulere idonea est, passim apud omnes Prudentiæ titulo audiat, singulatim vero illa quæ id ex præscripto legum præstat, communi omnium consensu Prudentia juris usurpetur: longe tamen potius indubie Prudentiæ munus est, ipsarummet legum commoda atque incommoda perspicere posse, imo hæc demum mensuram nominis Prudentiæ juris adimplet; quod vis ipsa vocis satis indicat. Adeo plena autem Legum cognitio requiritur in illo Politico viro, qui ad clavum reipubl. sedens leges illi præscribere ex officio tenetur. Quî enim intelligat, num ferenda sit nova lex, num vetus abroganda, num hujus aliquid corrigendum, nisi usu omni & noxa Legum probe perspecta? Nihil tale jure postules ab iis quorum gloria in prompto est obsequio. Ne Iudici quidem nefas est isthæc ignorasse: quamvis per ἐπιείκειαν quam appellant leges interdum in judiciis sint tempe-

 randæ

randæ, ἐπιείκεια autem absque ejusmodi plenâ notitiâ esse nequeat. Illa enim moderandarum legum [illegible] potestas supra dignitatem est judicis; munus τοῦ νομοθέτου qualis in republica Rex est, & in universum omnis quem penes est potestas summa. Nec temere communicari judicibus aut magistratibus potest, absque summo reipubl. dispendio. Certa usu ipso docemur: nõ satis sibi hodie ea in re caventibus passim civitatibus, etsi ipsemet Justinianus longe prudentissime id omne sibi soli tanquã summo Principi in sua republ. olim vindicaverit; qua de re alias accuratius disserendum.

Igitur non profecto satis fuerit, dedisse in eum modum mentem hujus Legis, si quem in republ. gerenda usum invenire debeat interpretatio nostra. A nobis autem merito hoc forte exspectaveris, saltem ratione muneris quo in inclyta hac Julia fungimur: utpote quum Politici philosophi sit τὴν νομοθεσίαν omnem novisse, atque adeo latarum legum examen in usum reipubl. posse instituere. Et verò quam hactenus exhibuimus, Historica quædã duntaxat vel Grammatica (ne quid dissimulemus) interpretatio fuit: altera autem illa demum Politica est. Quod ipsum non sine singulari quadam animi voluptate videmus jam etiam ante nos agnovisse, summum virum & æternum Frisiæ nostræ decus Joachimum Hopperum, nunquam satis laudandi scripti *de Vera Iurisprudentia lib. IV. tit. 16. &* [illegible] Quamvis ipse ejusmodi interpretationem Legum nunquam volumine isthoc dederit, majori forte isti operi eam reservans, cujus hi libri non nisi præludium aliquod esse debuerunt, quantùm ex illorum prologo pariter ac epilogo ut & ex libri quarti tituli quarti fine colligere est. Agamus igitur etiam quod officij ratio expostulat; sed enim paucis, ne prolixa dissertatione moremur tempora aliorum usibus reipublicæ dedicata. Ve-

Verum ante hoc quam agamus, cogimur quasi adducere, huc nonnulla eorum quæ alibi plenius docemus, quo Politica hæc interpretatio veris certisque principiis suis quasi muniatur. Omnis lex aut jubendo, aut vetando; aut permittendo sciscit nonnihil de actu aliquo civili: perinde atque omnis quæstio & deliberatio Politica circa actum aliquem civilem occupatur. Actus porro, ut in universum omnis etiam naturalis, ita & omnis civilis; simul causam suam efficientem, materialem & finalem habet quidem: Finalis tamen caussæ in Legibus rara fit mentio, quod non intersit obsequentium eam scire, imo intersit sæpenumero eam in vulgus ignorari. Materialis quoque & Efficientis caussæ memoria nonnunquam in Lege desideratur, sed non nisi quando aut de iis jam tum liquet, aut lex est imperfecta. Perfecta autem est quæ integre determinat omnia quæ ad actum pertinent. In definienda vero caussa Formali actuum potissimum lex omnis versatur. Hinc jam tum pene sub initium dissertationis huius observavimus, in ipsa nostra hac Lege primariò quidem de Actuum quorundam forma, simul tamen aliquid etiam scitum esse de efficiente caussa, quinā scil. actus illos debeant edere, & de caussa materiali circa quas personas nempe aut res (ut omnis materia ejusmodi Politica vel est res vel persona) oporteat actus illos exercere; solius caussæ finalis nulla omnino facta mentione.

Quoniam porro actio in universum omnis, adeoque & civilis, speciem formamque suam à fine quidem potissimum, ex parte autem etiam à materia atque effectrice caussa consequitur: hinc in examine Legis formam actus alicujus definientis, præcipue ad finem sive scopum actus, ex parte tamen etiam ad agentem personam, atque ad id circa quod actus occupatur, est respiciendum.

Simi-

Similiter & Effectricis caussæ cum principalis tum instrumentalis,(quarum illa in civilibus semper est persona aliqua, hæc modò persona modò res) aptitudo ad materiã formam a suum, & finem venit exigenda. Materiæ vero (quæ in civilibus nunc persona nunc res aliqua est) idoneitas ad effectricem formalem finalemque caussam spectanda est. Idque non minus in civilibus negotiis adeoque & ipsis Legibus ac deliberationibus, quàm promiscue in omnibus quæ naturæ, cumprimis autem humano operi, sunt obnoxia. Illa verò aptitudo utriusque potest accipi ex ijs quæ ad essentiam pertinent. Qualia sunt alia quidem communia, alia vero ad societatem civilem solùm spectant, atque adeo propriè sunt πολιτικὰ; cum illa communia sint partim μεταφυσικά, partim φυσικὰ, partim etiam ἠθικὰ, & fiant demum πολιτικὰ, si quando ad negotium aliquod politicum adstringuntur.

Finis deniq; civilium actuum (ut aliàs quoque) aut extremotus aut proximus; item aut externus aut internus; ut & aut universalis vel particularis. Nec particularis finis rectè se habet nisi universali integræ reipublicæ fini conveniat: nec proximus, nisi ille congruat remoto: nec internus, nisi respondeat is externo. Eòque in examine finalis caussæ hic ordo semper est observandus.

Et verò quæ modò attulimus in omni νομοθεσίᾳ observanda veniunt, cujus portio quasi est latarũ Legũ examinatio Politica. Imo observanda illa veniunt in omni deliberatione & tractatione civiliũ negotiorũ: nec aliunde possunt peti idoneæ probationes Politicæ, quæ ita institutæ vim habent verarum demonstrationum. Alibi hæc à nobis suoque loco plenius docentur, heic non nisi obiter quasi adferenda fuerunt.

Unum adhuc præmonendũ est anteaquam ad rem ipsam aggrediamur. Veterum latarum legum examen difficile

esse,

esse, propterea quod censura nequeat probe institui, nisi omnibus, quæ modò diximus, exactè perspectis, harum vero plena cognitio ob antiquitatem & monumentorum defectum vel omnino non vel ægre haberi possit. Et sanè hactenus longè est verissimum illud Juliani: *Non omnium quæ à majoribus sunt constituta ratio reddi potest.* Illarum tamen legum antiquarum censura minus est difficilis, si exigantur illa ad certum aliquem notumque reipubl. statum. Id quod fieri par est, si fortè velis in usum præsentem illas transferre, atque adeò ex ævo vetere commodum aliquod remedium tuæ reipublicæ petere. Nec verò prudentis est hominis ejusmodi censurâ haud institutâ admittere in usum alienas leges: sed talis quidem ἄπειρος νομοθεσία (ut scite illam appellat Hopperus) plane indigna est & neutiquam ferenda: cum rerumpublicarum varia admodum sit conditio, intantum quidem, ut uni quod prodest maxime obsit alteri.

VERUM tempus monet, hisce sepositis ad institutum negotium accedere. Et quidem initium faciemus de caussa finali Legis, quoniam id exposcit ratio Examinis: quod nulla ex parte institui rectè potest nisi de fine omnia fuerint antè constituta. &c.

CÆTERUM hæc quidem proxime voluisse Cæsarem Lege isthac sua consequi, manifestum satis est. Nondum liquet tamen, vel num hunc finem rectè sibi propositum ille habuerit, vel num media quæ adhibuit fuerint paria fini isti assequendo: quorum prius primo loco inquirendum est. Ut autem jam ante monuimus, fines ejusmodi ad finem ultimum integrumque reipublicæ æstimandi sunt: eòque attendendum venit, quis ille fuerit Imperii Romani, quo tempore Lex condita est. Est autem hoc fortè incertius. Etsi enim status imperii simpliciter μοναρχικὸς fuerit, adeoque indubie

V salus

salus reipubl. tum fuerit in conservatione monarchici talis regiminis posita: cum duo tamen sint genera τῆς μοναρχίας, in quorum utroque bonum quidem spectatur commune, at verò in alio dominantium commodum primariò quæritur & non nisi pene ex accidente commodum subditorum, in alio vero ex pari dominantium atque parentium salus attenditur; non perinde certum est cujusmodi tum fuerit Romanum Imperium. Multum autem interest cujusmodi fuerit cum neutiquam omni ex parte iisdem institutis utraque μοναρχία queat conservari. Et verò omnes leges Romanæ in universum monarchiæ sunt quàm aptissimæ, in cujus duntaxat usum etiam sunt conditæ: cæterum videtur (ut solet) fluctuasse illam rempublicam; & modò communis boni ex æquo, modò dominantium potius rationem habitam. Plurimum sanè falluntur qui existimant, omni perinde statui Leges Romanas convenire: id enim omnino est ἀδύνατον, & à mente ipsorummet Romanorum legislatorum alienissimum: arguitque talis opinio summam Politices vel regendæ reipubl. inscitiam, imo & ignorantiam Romanarum legum. Nec enim id verum est, nisi fere de paucis illis quæ faciunt simpliciter ad usum communem omnium rerumpublicarum: reliquarum & numerus est maximus, & uni illi speciei quam μοναρχίαν dicimus congruunt, ad alias rerumpubl. formas translatæ illas mutant ac perturbant: interim & illarum aliæ favent magis herili aliæ civili monarchiæ, tanquam Romana respublica duas hasce inter species quasi dubia hæserit. Nec enim omnibus par Cæsaribus animus, quorum hodieque leges in Codicibus supersunt. Multum profecto à Trajani, Hadriani, Antonini Pij, Marci, Severorum, civili in rempubl. benignitate alii absfuerunt: eòque vel in gratiam vel augendo do-
minatu

minatui constituta sunt ab ijs haud pauca: quæ nec Justinianus mutavit omnia, sive per incuriam, in illa infinitâ discordantium legum multitudine recensendâ inevitabilem, sive quod nec ipse ab herilibus studiis fuerit alienus: perinde ut primus fere omnium qui Constantinopoli vixere Imperatorum, non tantum nomine sed etiam re ipsa fuit *αὐτοκράτωρ*, quod observavit *l. 5.* Agathias. Cæterùm Valeriani Cæsaris illæ virtutes, quas procul adulatione describit Ammianus Marcellinus sub finem *l. 13.* (ne de aliis nunc dicam) vetant nos sequius aliquid suspicari. Ut proinde habendus ille sit inter eos quibus persuasum fuit, *Finem justi imperij* (quæ verba ibidem sunt *cap. 23* Ammiani) *utilitatem obedientium æstimari & salutem:* atque adeò Romani Imperij administratio non tam dominantis commoda quam bonum commune tum spectaverit. Ille imo fuit Cæsar iste, ut haud injuria dixeris, non amplificandæ potentiæ, non parandis opibus, non vitæ luxuriosæ studuisse tum rempublicam Romanam, sed veræ felicitati. Quam in virtutis exercitio, cum eorum quæ ad vitæ civilis usum requiruntur justâ copiâ, collocant sapientes: etsi alias, non privatim duntaxat sed & publice à magnis civitatibus ea in re peccetur vehementer.

EXCERPTA

EX JOACHIMI HOPPERI

FRISII J.C.

LIBRIS DE

VERA JURISPRUDENTIA.



JOACHIMI HOPPERI

DE

VERA JURISPRUDENTIA

LIBRI I.

TITULUS I.

DE PRIMA JURISPRUDENTIA ET QUOMODO DIVIDATUR.



UONIAM igitur de doctrina paterna nobis instituendus est sermo, agedum hoc primum mihi expedi, mi frater, quanam potissimùm de re agat. G. De prima illa magnaq; & vera omnibusq; partibus absoluta Jurisprudentia, quam civilem sapientiam Ulpianus, Graeci Philosophiam Politicam nominant: ad quam quidem collata (quod sine invidia dicatur) quae vulgo dicitur Jurisprudentia, in tam parvum & angustum naturae locum conclusa reperitur (quantumcumque vasta & latè diffusa videatur) ut vix minimi momenti instar habeat: unde qui eam sustinent, magna professos in parvis versari, & non tam Juris & Justitiae, quàm litigandi vias tradere, quidam de veteribus sapientibus scriptum reliquit. S. Quid? eam quomodo describis? G. Ajo principem esse disciplinam, quae reipublicae jure ac legibus administrandae, gubernandaeque praeest. Nam cùm omnes artes ac scientiae vel publicae sint, quae imperant; vel privatae, quae parent; haec prioris est generis, princeps omnium artium

ac disciplinarum, per quam reges (ut ille ait) regnant, & legum conditores justa decernunt. Atque eam David sibi & filio suo optans, Deus, inquit, judicium tuum regi da & justitiam tuam filio regis: judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. Et Salomon neque amorum, neque opum potentiam à Deo petens: Dabis, inquit, servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum. Sacri autem canones, de disciplina hac loquentes, artem artium eam vocant; quippe quæ & quas disciplinas inferiores in repub. esse, & quales quemque addiscere, & quousque oporteat, præscribat. S. Quonam autem modo eam partiris? G. In universalem Jurisprudentiam, & specialem; ut in artibus condendis vocabula artium non defugiamus. S. *Vniversalis* quænam est? G. Quæ per totum mundum diffusa, omnibusque gentibus ac populis communis, artem ipsam Politicam, qua jure legibusque constituendis resp. regitur ac gubernatur, comprehendit; in qua quidem non seclusa aliqua aquula tenetur, sed unde universum flumen erumpit. S. *Specialem* verò? G. Quæ circa unius alicujus populi jura, legesque, ex arte generali deductas, versatur. Nam quemadmodum in cæteris disciplinis aliud ars ipsa oratoria est, aliud oratio, Demosthenis fortè, ex arte facta; aliud ars poëtica aliud poema Homeri ex arte factum: ita & hic aliud ipsa juris ac legum condendarum ars est, aliud lex alicujus populi, Atheniensis fortè, aut Romani, ex arte facta. Vnde & Plato libros suos duodecim, tum quidem de Legibus inscripsit, quod specialis est Jurisprudentiæ; tum verò de Legum latione, quod universalis. S. Rectè. G. Nos autem Platonem sequuti, qui solus princeps disciplinam hanc coluit, ejusque non solùm vestigia quædam minimè obscura impressit, sed & plurima ornamenta adjumentaque illi submini-

ministravit; de utraque summatim disseremus. Nam haut satis est unam nosse, nisi & aliam noris, quæ cum ea necessariò debet esse conjuncta. Sic ut ab universali ad specialem per certos gradus descendas, & à speciali rursum ad universalem per eosdem ascendas; prout de Angelis, quos in quiete per visum Jacob sursum ac deorsum per scalam discurrentes videbat, est proditum. Nec aliò pertinet Thesei filum, de quo in fabulis est: nempe ut certa ratione ac via, à principiis generalibus in rerum specialem labyrinthum introeatur, & eodem modo denuo, à rebus specialibus ad principia generalia remeetur. S. Intelligo. G. Et quidem naturæ ordinem sequuti, primò generatim de arte ipsa universali dicemus; deinde autem particulatim de summis capitibus Iuris civilis Romani, quo utimur. Quæ quo pacto ex arte universali manarint, eòque tanquam ad caput suum revocentur, quantum quidem pro instituta brevitate satis videbitur, demonstrabimus. Sic ut non circa artis ipsius tractatum modò consistamus, sed & ad usum, quantum in nobis est, eam transferamus. S. Probè. G. Quinimo cùm Jus civile Romanum partim publicum sit, partim privatum (prout in omnium populorum legibus accidit) ut posteriùs latiùs tradetur; dici potest, Jurisprudentiam nostram omnem, vel *universalem* esse, quæ per totum mundum patet, ut diximus: vel *generalem*, quæ Jus publicum complectitur: vel *specialem*, quæ Jus privatum: ut secundùm hoc tribus omnino tractatibus omnia comprehendantur. Nunc autem ad rem Deo duce accedamus.

TITVLVS II.

DE UNIVERSALI JURISPRUDENTIA.

S. Ergo de *universali* Jurisprudentia quid ais? G. Eam in veram divido, vulgarem, & assimulatam. S. *Vera* quænam

nam est? G. Quæ in vulgus hactenus ignota, certa via ac ratione, certisque principiis ex natura notatis constat, unde non errans & vaga opinio, sed stabilis firmaque scientia exsistit. S. *Vulgaris* autem ? G. Qua vulgo passim utimur, quæque non tam ratione ac intelligentia, quàm usu, & multarum rerum memoria opinioneque nititur. S. *Assimulata* verò? G. Quæ neque scienria, neque opinione, sed phantasia duntaxat (visum Latini vocant) continetur. Inter quæ quidem quidnam sit discriminis, à Platone luculenter scis esse traditum. S. Ita memini. G. Nam cum scientia pro animo sit, opinio autem pro corpore; phantasia pro umbra meritò censetur, quippe quæ neque scientiam, neque opinionem, sed errorem hominum duntaxat aucupatur. S. Sic est. G. Nobis autem de Vera primùm exponendum est, in qua præcipua opera, ut par est, ponetur: deinde autem de vulgari, & assimulata, quas cum vera pòst deinceps comparabimus.

TITVLVS III.

DE VERA JVRISPRVDENTIA.

S. QVID veræ autem Jurisprudentiæ, anne partes aliquas sive species supponis ? G. Maxime: duas nempe. S. Cedo quas ? G. Primariam & secundariam. S. Quam dicis *Primariam* ? G. Quam Nomotheticen Plato vocat: cui inde nomen est, quòd jure legibusque condendis, & de conditis judicandis, reipublicæ regendæ gubernandæque præest; unde & Ars ipsa Regia nominatur, quam in antro Iovis, per totos novem annos (cui numero quæ vis insit, pòst videbimus) Minoa didicisse, Homerus prodidit. S. *Secundariam* autem ? G. Quæ Dicastice ab eodem Platone dicitur: & secundùm nominis sui rationem, non quidem circa leges condendas, sed conditas exsequendas, & judicia secundum eas exercenda versatur, quam Rhadamanto idem poëta tribuit. S. Probè

Probè narras. G. Atque utrosque quidem hosce significat David, cùm ait: *Et nunc Reges intelligite*, (quod Nomothetarum est: *erudimini qui judicatis terram*, (quod Dicastarum.) Pertinetque eodem, quod de Lege & Prophetis in Evangelio proditur, & quod Dominus *tanquam auctoritatem habens*, (quod legislatoris est,) *non autem ut Scribæ* & Pharisæi, (quod interpretum,) *docuisse* scribitur. De utraque separatè distincteque tradendum est.

TITULUS IV.

DE NOMOTHETICE, AN SIT IN NATVRA, ET IN ARTEM REDIGI POSSIT.

S. ERGO de Nomothetice quid ais? G. De ea primùm dicam, an sit aliqua in rerum natura juris ac legum condendarum ars. Quo inquirendo, simul & unde sit, & quando primum inter homines exstiterit, apparebit. Deinde quæ ejus definitio; tum quæ divisio. Unde ad reliqua, nectendo alia ex alijs, progredietur oratio. S. De primo quid? An dubium autem est artem hanc in natura exstare, cùm quotidie alias atque alias leges condi videamus? G. Imò verò ob hoc ipsum vel maximè dubitari potest, naturáne, an arte, an divinitus, vel etiam casu fortuito, & pro voluntate ac libidine cujusque ea res regatur. Dum non modò apud diversas nationes diversas leges exstare, sed & in eadem civitate, nunc has, nunc illas, exsistere videmus, nec unquam homines cessare alias ex alijs leges ducere. Cui accedit, quòd, licet plurimæ ubique sint leges, nullius tamen unquam in omni memoria scriptum exstitit, quo ars ipsa Juris ac legum condendarum, plenè perfecteque describatur. Nam quòd vulgo artem Juris in ea ratione ponunt, qua leges dissipatæ ac disjectæ in ordinem rediguntur, certisque capitibus ac membris secundùm genera & species describuntur, ut de Papirio & Flavio, alijsque apud

Romanos est proditum; non verè sed per abusionem dicitur. Nam ipsa vera juris ac legum condendarum ars, naturâ leges omnes præcedit, quippe ex qua illæ exprimantur: fuitque in natura multis antè seculis, quàm lata est inter homines aut scripta lex ulla. Hujus autem facultatis methodicæ vis & effectus naturâ leges sequitur: ut postquam ex arte conditæ sunt, certo ordine digerantur. Nec quidquam prohibet quo minùs non modò artem ipsam Juris & legum condendarum, quæ primaria est, sed & leges ex arte conditas, quæ secundariæ sunt, quis ignoret, aut certè earum non valde sit peritus: & tamen à facultate hac methodica, quæ tertio demum loco succedit, minimè abhorreat. Atque hac quidem ratione apud Ciceronem de Jure civili in artem redigendo disseritur: & Hipparchus poemata Homeri ante disjecta in certum ordinem conclusisse dicitur. S. Quid ergo, tu an facultatem istam Nomotheticen, qua jura legesq; conduntur, in naturâ exstare, & in artem includi posse ais, an non? G. Aio exstare, & in artem includi posse. S. At quanam autem ratione? G. Hac nimirum. Quicquid consilio ac ratione regitur, à Deo & natura est, & in artem ingenio humano includi potest. Nam ars nihil aliud est, quàm collectio quædam præceptorum ex natura manantium, unumque finem spectantium. Jura autem legesq; condere, consilio & ratione regitur. Nam hinc lex à Chrysippo summa ratio dicitur in natura posita: & à Papiniano commune præceptum, virorum prudentum consultum. Est igitur à Deo & natura, & in artem ingenio humano includi potest. S. Intelligo. G. Ac quod objicitur, à nemine unquam artem hanc descriptam, aut literis proditam fuisse, certè præterquam quòd Platonem ejus meminisse, quædamq; illius minimè obscura vestigia impressisse, jam antè diximus; quem & Aristoteles in Politicis est secutus. Cui accedit quod

Plutar-

Plutarchus in Themistocle, quandam tum temporis regendæ reipublicæ artem à Solone profectam exstitisse ait. Tum etiamsi horum nihil exstaret, tamen omninò putandum est, aliquando extitisse. *Nihil enim*, inquit ille, *sub cælo novum est, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est; jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* S. Sic est. G. Ac quod de varietate ac diversitate legum dicitur, quasi illa nullam legum condendarum artem esse arguat. Primùm si quid in legibus condendis, vel imperitia, vel cupiditate, vel alia aliqua animi labe peccetur, (ut sæpe accidit, cum precio leges figuntur ac refiguntur,) id artem non convellere, per se, nisi fallor, lucet. Præter quòd varietas quæ in legibus accidit, tantum abest ut artem tollat, ut eam vel maximè stabiliat. Etenim nihil est quod arti ac prudentiæ magis congruat, quam rebus subjectis & earum circumstantijs, quæ sæpe mutantur, leges quæ de ijs feruntur accommodare. Cui adde, quòd non quilibet, sed is demum qui verè arte præditus est, intelligit, unam eandemque rem, quantum ad formam externam attinet, multis modis rectè habere se posse: quod ex artis ipsius & naturæ abundantia contingit. Nam cùm nullum unum uni tam sit simile, quàm homo est homini; quanta tamen figuræ oris sit diversitas, constat; & in mari nihil sane opus est, ut ad eandem lineam navigetur, dummodo idem cursus teneatur. S. Probè narras. G. Et quod porrò dicitur, crebram legum humanarum mutationem facere; ut non tam ratione & consilio, quàm divinitus, vel casu fortuito, aut pro cujusque voluntate & arbitrio, res ea regi videatur. Certè sic omnino sentiendum est, primam legum omnium ac principem causam unum esse Deum: secundam autem, naturam, & quæ ab ea existunt necessitates ac casus fortuiti quos vocamus: tertiam verò, artem, sive hominem, qui primis igniculis à Deo & na-

tura acceptis, ut de Prometheo proditum est, reliquas leges inferiores, tanquam minor quidam Deus, ut Timæus ait, inde (non autem ex sensu suo) deducit, & quasi parvam quandam naturam in majore constituit. Nam quemadmodum in re nautica primæ partes Dei sunt, secundæ autem maris & tempestatis, tertiæ verò artis nauticæ, sive hominis ad utrumque se accommodantis: idem & circa jura legesque condendas accidit. In qua re tantum interest, artene quis præditus sit an non sit, quantum inter docti & indocti sapientiam interesse Pindarus ait. Nam cùm illius sapientia certa sit & stabilis, & tanquam catenis ligata; hæc contrà instabilis est & incerta: haud secus atque de Dædali statuis in fabulis est proditum, quas ligatas manere non ligatas fugere ajunt. S. Perpulchre sanè. G. Atque est quidem hæc juris ac legum condendarum ratio, non modò senior omnium populorum legibus ac institutis (ut diximus) sed & cum ipsa natura humana prodita, & ex Deo ac naturâ deducta. Constat enim, principio rerum, primum parentem, postquam Deus hominem creasset maremque & feminam fecisset, mox legem matrimonialem inde deduxisse, & in republica constituisse, qua vir patrem & matrem relinquere, & adhærere uxori jubetur. S. Ita res est. G. Nec verò ad rem pertinet, quòd nullis hæc disciplina tum inclusa erat certis regulis; quoniam ipsa vera perfectaque scientia civilis, quæ à natura homini erat insita, supra omnes est regulas. Quæ quidem tum primùm inventæ fuêre, postquàm animus labe peccati obscuratus, his minoribus præsidijs, & adminiculis opus habere cœpit, ut per ea, tanquam per scalas, ad ipsam scientiam, accedente usu & natura, paulatim enitatur. S. Verum. G. Atque ita quidem si quis de omnium artium ac scientiarum præceptionibus sentiat, minimè, ut puto, errabit. Sin verò secus, existimans eas sic describi posse, ut

omnem

omnem omnino rem comprehendant, non Deus quidem, inquit Plato, ſed ipſe ſibi mentem eripuit.

TITULUS V.

DE DEFINITIONE NOMOTHETICES.

S. QVONIAM igitur Nomotheticen, ſive juris & legum condendarum artem in natura eſſe conſtat, indeq; erui poſſe & certa via ac ratione comprehendi; age quænam ea ſit, & quomodo definiatur, oſtende. G. Sanè ſi non quantum velimus, certè quantum poſſumus, præſtare conabimur. Nam definitione bene conſtituta, diviſioneque rectè inde deducta, reliqua per ſe quodammodo ſequuntur. Et verò ne quid erremus, tres ordine definitiones adferemus: ex quibus prima ſubſtantiam ſive eſſentiam Nomothetices continebit; altera materiam & formam; reliqua vim & effectum, propriumque ejus officium ac finem. S. *Prima* autem quænam eſt? G. Quæ apud Vlpianum ex Celſo exſtat, cùm ait, *Jus* (quo nomine ſcientiam ipſam juris eo loco ſignificat) *artem eſſe boni & æqui*. Quod perinde eſt, atque ſi Juſtitiæ dixeris; unde Juris hujus nomen (nam nomina convenientia debent eſſe rebus) deductum eſſe ſcribit: quoniam propria omnis lationis legum ſubſtantia in hoc conſiſtit, ut id quod rectum juſtumque eſt lege deſcribatur. Ac cùm univerſæ ſcientiæ politicæ tres omnino ſint partes: *ut* vitæ neceſſaria civitas habeat, quod agricolarum & opificum miniſterio efficitur; *ut* libera ſit, quod eſt rei militaris; *ut* ſibi amica, quod per magiſtratus & judices: his *quarto* loco accedens juſtitia, vitam & motum per leges illi tribuit. Sic ut ea præſente omnia rectè ſe habeant, abſente autem, vix ullum momentum ad beatam vitam bonumque civitatis ſtatum habere videantur. Et verò cùm illorum neque acceſſione melior, neque deceſſione pe-

jor vita fiat ; absente justitia, quæ omni pondere gravior est quàm reliqua, ne digitus quidem in ea revera porrigendus est. Nam cum hæc caduca sint & mobilia, illa altissimis defixa est radicibus. S. Revera dicis. G. Et quidem *boni & æqui* potiùs quàm justitiæ artem eam dicere voluit Vlpianus, quoniam universæ justitiæ nobilissima pars, ipsum æquum bonum est, (ut posteriùs demonstrabitur,) quò, scrupulositate omissa, pleraque omnia referre verum Jurisconsultum decet: ut de Servio Sulpitio Cicero prodit. S. Ita res est. G. Ac vocatur quidem *ars*, quoniam suis regionibus ac finibus circumscripta, certis & nunquam fallentibus doctrinis ac præceptis, ex naturâ haustis ac delibatis, & in unum exitum spectantibus, constat: quod artis est proprium. S. Jam *altera* definitio quænam est? G. Quam Justinianus Imperator ab Vlpiano sumptam ponit, cùm ait : *JVRISPRVDENTIA est divinarum & humanarum rerum notitia, justi & injusti scientia.* Ubi cùm res divinæ & humanæ pro materia subjecta sint, justum & injustum pro forma habentur. Quia enim reipublicæ, quemadmodum hominis, duæ sunt partes, corpus & animus : res divinæ & humanæ pro corpore; justitia autem & jus pro animo sunt. S. Probè. G. Nec verò abs re est, quòd cùm justi & injusti scientia dicatur, quod intelligentiæ est: quæ à capite rem accersens, per causas & earum continuationes eam cognoscit, principiis à Deo ipso, qui prima rerum omnium causa est, repetitis. Rerum divinarum & humanarũ *notitia* tantùm dicitur, ad discrimẽ opinionis, quæ circa interiora & eorum simulachra & imagines duntaxat versatur. Nam præterquam quòd formarum, quæ perpetuæ sunt, propriè scientia est; materiæ autem, quæ immutatur, non scientia, sed notitia: tum ratio quoque dictat, ejus quo disciplina ipsa continetur, cujusmodi est forma, scientiam esse habendam; eorum autem circa quæ versatur, cujusmodi est materia,

ria, notitiam sufficere, quatenus ad formam in ea discernendam ac dijudicandam sat est. Nam haud parum sæpe accidit, ut diversi artifices circa unam & eandem rem versentur, non simpliciter quidem & absolutè; sed quatenus suo cujusque instituto convenit. Quo quidem modo de natura hominis & Hippocrates tractat ut medicus, & Plato ut philosophus: & de arboribus cædendis Varro ut rei rusticæ scriptor, & Vlpianus ut jurisconsultus. S. Optimè sanè. G. Atque ab istis quidem duobus, nempe quòd circa res divinas & humanas, *justum*que & injustum hæc facultas versatur, & in scientia pariter & notitia consistit; nomen illi tributum est, *Jurisprudentia.* Nam *juris* nomine, justi & injusti circa res divinas & humanas descriptio continetur: *prudentia* autem, quæ tanquam Ianus bifrons, nunc supera spectat nunc infera, scientia pariter & notitia. Vnde fit ut & *sapientia civilis* apud Pomponium vocetur: sic ut *sapientia* vocabulum pro prudentia, *civilis* pro republica, justa descriptione accipiatur. Et *philosophia* apud Vlpianum: quæ à jurisprudentia & sapientia civili non nisi sono nominis differt. Nam cum philosophia secundùm nominis sui rationem, tum quidem amor boni sit, quod juris & justitiæ est in rebus civilibus tractandis; tum autem scientia veri, quod sapientiæ ac prudentiæ; per se patet, eandem omnium horum nominum vim esse & effectum. S. Revera dicis. G. Quæ quidem, quòd tria sunt numero, & ex duobus vocabulis constant, cum eo congruit; quòd hæc scientia inter binis spectatur, nempe in scientia & notitia justi & injusti, rerum divinarum & humanarũ. S. Dehinc de *tertia* definitione Nomothetices exspecto ut dicas. G. Hæc autem ita se habet. *Nomothetice ars est ac scientia civilis ac regia, qua justitia in hominem ac rempublicam per jura legesq́; inducitur.* S. Cur artem vocas civilem ac regiam? G. Quoniam reipublicæ regendæ

gendæ præest, ut suprà demonstravimus. S. Cur circa justitiam eam dicis versari? G. Quia quemadmodum medicinæ proprium munus est, sanitatem in corpus, ita Nomothetices est, iustitiam in animum inducere. Nam quod sanitas est corpori, hoc justitiam in animo esse Socrates probat, & nos inferiùs latiùs explicabimus. Atque hunc quidem finem disciplinæ politicæ esse propositum, docet Sapiens, cùm ait; *Diligite justitiam qui judicatis terram.* S. Cur circa hominem & rempublicam? G. Quia uti corpus medicinæ, ita homo quantum ad animum attinet, & respublica Nomotheticæ subiecta est, ad justitiam in ea inducendam: sic ut duo illa semper inter se conjungantur. Quod quidem ita fieri debere, ea re inter cætera Plato demonstrat, quòd libros suos de optimo civitatis statu, tum quidem De republica inscribit, tum autem De justo. Et Poëta, plenam perfectamque reipublicæ descriptionem duobus versibus comprehendens: *O Regina* (inquit) *novam cui condere Juppiter urbem, Justitiaq; dedit gentes frenare superbas.* Et Juppiter civilem vitam in hominum cœtus inducturus, Pudorem & Justitiam per Mercurium misisse, in Protagora scribitur. Nec alio quoque pertinet quòd Christus ipse in Evangelio, regnum Dei quæri jubet & justitiam ejus: addens alio loco, deficiente justitia in populo Israëlitico, fore ut & regnum Dei ab iis auferatur. Et quidem non solum hominem, sed & *rempublicam* huic disciplinæ subjectam esse dicimus; quia optandum quidem esset, virum politicum singulos homines obire & justos efficere posse, quod primarium est: sed quoniam id fieri nequit, proximum ei est, ut civitate constituta, eam generaliter & universè quàm queat justissimè describat, licet singuli qui in ea degunt homines, alii boni, alii mali, alii perfecti, alii imperfecti sint. Uti & de ecclesia sua Dominus ipse ait. S. Cur denique *circa jura legesq;*? G. Quia

quod

quod in arte medica pharmaca sunt ad sanitatem in corpus inducendam: hoc in ista disciplina sunt jura & leges, per quas tanquam instrumenta media inter justitiam & rempublicam interjecta, unum cum alio conjungitur, & tum quidem actiones justitiæ certis præceptionibus comprehenduntur, tum autem ipsi homines certa via ac ratione ad eas suscipiendas præparantur. Unde fit ut leges in sacris literis justificationes appellentur, quasi per quas homines justitiæ participes efficiantur. S. Præclarè narras. G. Et quidem cùm præcipuum hujus disciplinæ officium sit, leges ferre ac constituere ad justitiam in hominem inducendam, fit ut & nomen inde acceperit. Nam Nomothetice haud aliud est, quàm si legum latricem sive conditricem artem dixeris. S. Verum. G. Sed hæc quidem de tribus Nomothetices definitionibus; quæ quàm aptæ & convenientes inter se sint, per se, nisi fallor, patet jam satis.

TITULUS VI.

DE DIVISIONE NOMOTHETICES.

S. Igitur de divisione Nomothetices quid deinceps habes dicere? G. Enimverò quemadmodum in plerisque aliis disciplinis accidit, ita & hanc tum quidem Theoreticen esse ajo, tum autem Practicen. S. Quam vocas Theoreticen? G. Quæ circa cognitionem eorum versatur, eaque ex naturæ obobscuritate eruit, quæ ad justitiam in rempublicam per leges inducendam pertinent. S. Practicen verò? G. Quæ reipsa id præstat, justitiam in rempublicam per leges inducens. Sed nobis primum dicendum est de Theoretice: nam haud sanè ad agendum paratus esse quis potest, nisi priùs ea quæ agenda sunt, cognorit. S. Ergo de Theoretice quid ais? Anne & illa rursum suas habet species, in quas dividatur? G. Habet verò: nam & simplex est, & conjuncta. S. Quæ est Simplex? G.

Quæ de supradictis, hoc est, justitia in rempublicam per legem inducenda, simpliciter & absolutè tractat, docens separatè ac seorsim quid justitia sit, quid respublica, quid lex. Nam haud sanè viam ac rationem cernere quis queat, quâ justitia in rempublicam per legem inducatur, nisi quid eorum quidque sit sigillatim antè cognòrit. S. Quæ Conjuncta? G. Quæ quo pacto tria illa natura inter se affecta sint, & quónam modo juncta se habeant, ostendit; absque quo certè nulla ratione fieri queat ut ad opus quis accedat. Nam quemadmodum in naturali parte medicinæ primùm elementa quæ vocantur & eorùm qualitates per se cognoscendæ sunt, quod simplicis partis est, tum autem eorum mixturæ & temperamenta, quod conjunctæ: ita & hîc usu venit. S. Intelligo. G. Verùm cùm Simplex pars conjunctam naturâ præcedat; de ea priùs nobis est explicandum. S. At quonam autem pacto? G. Quoniam circa justitiam in rempublicam per legem inducendam, tota res, ut jam diu diximus, versatur; *primùm* de republica dicam, ut materia subjecta ante omnia cognoscatur, & à principe Deo, à quo omnes res divinæ & humanæ, quarum in definitione Iurisprudentiæ primùm fit mentio, profluunt, exordium capiatur: *Deinde* de justitia, quæ & ipsa à Deo procedit, ut forma quæ in materiam inducenda est, cujus definitio Iurisprudentiæ secundo loco meminit, intelligatur: *Tum* autem de lege, quæ originem quoque suam à divina mente ducens, tanquam pro instrumento est medio inter justitiam & rempublicam interjecto, ad unum cum alio conjungendum. S. Quid ergo? visne de singulis te interrogem? G. Sanè volo; sed ea qua dictum est lege: nempe ut summa rerum capita, tanquam fastigia quædam, pro ætatis & ingenii nostri mediocritate, duntaxat attingamus; alia autem majoribus illis libris relinquamus, unde hauriri poterunt.

JOACHI-

JOACHIMI HOPPERI
DE VERA JURISPRUDENTIA
LIBRI IV.

TITULUS VI.
DE DICASTICE ET EIUS DIVISIONE.

S. ABSOLUTA igitur Nomothetice, quid? anne sequitur de Dicastice mihi ut respondeas? nam hic ordo nobis est propositus. G. Verum. S. Hanc ergo quomodo describis? G. Aio artem esse, quæ ex Nomothetice desumpta, viam ac rationem tradit, qua jure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, justitia in rempublicam inducitur: quod quia per judicia potissimum efficitur, nomen inde accepit. S. Rectè. G. Ac est quidem ideo necessaria, quoniam non potest Nomotheticus solus omnia obire, ut suprà probavimus; sed opus habet magistratibus sub se, quibus tanquam oculis & auribus manibusque & pedibus utitur, ipse in summa reipublicæ arce residens cunctaque contemplans. S. Probè G. Nec verò conveniret, majorem illam curam ipsum relinquere, & inferioribus rebus operam dare: quoniam Apostoli negabant se prædicationem verbi Dei deserturos, & ministraturos mensis, sed mandabant eam rem Diaconis. S. Pulchrè. G. Et est res perinde atque si in media urbe fontem fingas, unde ad omnes urbis regiones aqua ducatur: cui rei cùm unus sit præpositus curator aquarum, qui veram fontis gubernandi & aquæ ducendæ rationem solus teneat, alios sub se habeat qui singuli singulis regionibus urbis præsint, & licet ipsam artem non habeant, rationem tamen tenent qua mandata ejus exequantur, quorum curam ipse gerat utrum rectè faciant nec ne. Uti de Minoë legislatore fiebat, qui Dicastas

sub se habebat duos, Rhadamantum in urbe, & Talum in agro. S. Quid? hanc Dicasticam quomodo dividis? G. In Intelligentiam juris ac legum per Nomotheticen constitutarum (nam absque illa nulla potest fieri executio) & ipsam Executionem: de quibus singulis exponemus.

TITULUS VII.

DE INTELLIGENTIA IURIS ET LEGUM, EIUSQUE DIVISIONE.

S. INTELLIGENTIA juris ac legum quonam modo paratur? G. Recta docendi discendique juris ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur. S. Quibus verò illis? G. Scholastica, quæ in scholis ferè locum habet; Forensi, quæ in judicio; & Politica, quæ in republica. Quamquam omnes sunt omnium: quoniam quæ in scholis traduntur, animos ad ea præparant quæ in foro & republica geruntur.

TITULUS XXIII.

DE POLITICA IURIS AC LEGUM INTERPRETATIONE.

S. HABEO de scholastica ac forensi juris ac legum interpretatione: de Politica nunc reddito. G. Hæc ab eo nomen habet, quòd in senatu ac republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrùm rectè latæ sint nec ne inquiritur, potissimum versatur. Et adeo neque in communibus scholis tractari debet, ubi leges ipsas juvenes, non autem judicium de legibus, quas ut Deas colere oportet, addiscere debent; neque in foro ac tribunali, ubi secundùm leges non de ijs est judicandum. S. Rectè. G. Sed maximè omnium pertinet ad eos qui arte Nomothetica instructi (nam inde proximè effluit) legibus in civitate sunt præpositi. Quos nocturnos judices ac senes Plato in secunda Socratis republica vocat. Deinde ad summos etiam Dicastas, qui Nomothetis proximi,

proximi, aliquam etiam circa leges inferiores constituendas ac corrigendas partem obtinent, ut post dicetur. Post ad maximos quosque legum doctores, ætate, eruditione, & virtute præstantes, qui hanc facultatem cum ijs seorsim communicare possunt, qui tricesimum quintum annum egressi, tales se jam in studijs & vita moribusque probaverint, ut, etiamsi quas leges inferiores non optimè constitutas reperiant, non tamen ob id minus eas colendas, & tanquam tutelares civitatis deos, ut dictum est, in pretio habendas putent, censentes tum quidem se nondum satis eas intelligere, tum verò dominabus etiam discolis esse parendum. Quos utique in hac disciplina convenit exerceri, ut ubi ad rempublicam venerint, eam quam oportet operam circa usum & exercitium legum navare possint. S. Probè. G. Sed qui aliter sunt affecti, quemadmodum ad interiorem illam partem reipublicæ, ita nec ad hanc disciplinam admitti debent: ne ea instructi supra leges se efferant, &, si quid in ijs non verissimum fortasse reperiant, totas rejicere & abolere contendant. quemadmodum sæpe accidisse, & quidem hoc tempore contingere, videmus. Nec aliò pertinet quod dicit Dominus: non esse sanctum dandum canibus, nec projiciendas margaritas ante porcos, ne fortasse conculcent eas pedibus & conversi dirumpant nos. S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quandam Nomotheticæ, de qua suprà expositum est: & ideo quæ de ea jam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. In quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est Primum? G. Vt certa via ac ratione dijudices utrum leges latæ rectè se habeant, nec ne: idque tum quidem secundum substantiam, quoad res; tum autem secundum formam, quoad personas; tum verò secundùm naturalia, quoad res & perso-

nas, prout suprà est expositum. Atque hæc quidem est interpretatio, quæ à primis principijs repetita hominem verè prudentem & politicum efficit, & ad rempublicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod secundum? G. Vt si inveniatur, legem non rectè se habere, dispicias ecquid mutanda sit nec ne: nam sæpe fit ut quædam sint in republica non optima, quæ tamen non sunt mutanda, nempe cùm plus periculi & mali in mutatione est, quàm in ipsa re boni, ut suprà latiùs est expositum.

TITULUS XXVIII.

DE VVLGARI JVRISPRVDENTIA.

S. EXPOSITIS igitur ijs quæ ad Veram Jurisprudentiam pertinent; quid, visne de Vulgari Jurisprudentia, & Assimulata deinceps te interrogem? G. Volo sanè: ac primùm quidem de Vulgari dicam, deinde de Assimulata, quid sit, quomodo dividatur, & quis ejus sit usus. S. Ergo Vulgarem Jurisprudentiam quam vocas? G. Facultatem administram, quæ circa unius alicujus populi leges, earumque vulgarem intelligentiam & usum versatur. S. Quamobrem facultatem administram vocas? G. Quoniam non princeps ars est ac scientia, ut Vera; sed ancillula quædam ejus ac pedissequa, cujus opera utitur, ut mox dicetur: & ideo qui illi præsunt, non veri & expressi sed plebeij sunt ac minuti Jurisconsulti. S. Cur circa unius alicujus populi leges eam dicis versari? G. Quoniam licet apud plerasque nationes exstet, per se tamen non universalis est sed legibus specialibus circa quas versatur ita astricta, ut ijs sublatis simul & ipsa intereat. Quod significare volebat Imperator ille, qui uno die totam Jurisconsultorum Romanorum sapientiam è medio se sublaturum minabatur. Ac si quid subinde veræ scientiæ hoc genus homines habere videntur, non ratione & arte

constat,

constat, sed bonitate naturæ, ut Plato ait, & multarum rerum memoria cum longo usu & experientia conjuncta, quæ sæpe similitudinem quandam ac faciem gerit sapientiæ cùm non sit. Nam quemadmodum qui in sole ambulant, tamen colorantur; ita qui in continenti rerum usu versantur aliquid subinde sapientiæ colligere videntur, licet eam revera ne primoribus quidem labris atttigerint, Verumq; Jurisconsultum ne pictum quidem, ut dicitur, viderint. S. Quamobrem adjicis, ad vulgarem legum intelligentiam & usum hanc jurisprudentiam pertinere? G. Quoniam cum legum duplex sit tractatio; una Vera, quæ certa ratione ac intelligentia constat, & altera Communis, quæ opinione fertur vaga & incerta, Prior ad veram jurisprudentiam, Posterior ad hanc vulgarem pertinet. Et quidem cùm Prima brevis sit & sibi semper consentiens, quoniam certis finibus circumscripta arteque tota tincta, eâ tanquam mensura utitur, ad quam unamquamque rem propositam dimetitur: Vulgaris contrà quia mensura caret, nec definitam habet regionem cujus terminis septa teneatur, nec certum quid quod sequatur, infinita est & contentionibus plena, multisque difficultatibus obstructa, ut ex immensis scriptis eorum qui illam sequuntur, & opinionum varietatibus, quibus summa dissensione certantes, tanquam fluctibus in vasto mari sursum ac deorsum jactantur, videre licet. Qui quidem certis quibusdam destinatisque sententijs quasi addicti & consecrati, alij in aliorum auctoritate delitescentes cùm ipsi nihil clarè videant, haud absimiles ijs sunt, qut noctu oberrantes eò accurrunt, ubi plurimas voces aliorum, æquè atque ipsi oberrantium, attolli audiunt: vel qui, cùm ratione non possunt clamore, vincere student. S. Quid? Jurisprudentiam hanc Vulgarem quomodo dividis? G. In duas facultates, quemadmodum ipsam Veram suprà:

Romanos est proditum; non verè sed per abusionem dicitur. Nam ipsa vera juris ac legum condendarum ars, naturâ leges omnes præcedit, quippe ex qua illæ exprimantur: fuitque in natura multis antè seculis, quàm lata est inter homines aut scripta lex ulla. Hujus autem facultatis methodicæ vis & effectus naturâ leges sequitur: ut postquam ex arte conditæ sunt, certo ordine digerantur. Nec quidquam prohibet quo minùs non modò artem ipsam Juris & legum condendarum, quæ primaria est, sed & leges ex arte conditas, quæ secundariæ sunt, quis ignoret, aut certè earum non valde sit peritus: & tamen à facultate hac methodica, quæ tertio demum loco succedit, minimè abhorreat. Atque hac quidem ratione apud Ciceronem de Jure civili in artem redigendo differitur: & Hipparchus poemata Homeri ante disjecta in certum ordinem conclusisse dicitur. S. Quid ergo, tu an facultatem istam Nomotheticen, qua jura legesq; conduntur, in naturâ exstare, & in artem includi posse ais, an non? G. Aio exstare, & in artem includi posse. S. At quanam autem ratione? G. Hac nimirum. Quicquid consilio ac ratione regitur, à Deo & natura est, & in artem ingenio humano includi potest. Nam ars nihil aliud est, quàm collectio quædam præceptorum ex natura manantium, unumque finem spectantium. Jura autem legesq; condere, consilio & ratione regitur. Nam hinc lex à Chrysippo summa ratio dicitur in natura posita: & à Papiniano commune præceptum, virorum prudentum consultum. Est igitur à Deo & natura, & in artem ingenio humano includi potest. S. Intelligo. G. Ac quod objicitur, à nemine unquam artem hanc descriptam, aut literis proditam fuisse, certè præterquam quòd Platonem ejus meminisse, quædamq; illius minimè obscura vestigia impressisse, jam antè diximus; quem & Aristoteles in Politicis est secutus. Cui accedit quod

Plutar-

Plutarchus in Themiſtocle, quandam tum temporis regendæ reipublicæ artem à Solone profectam exſtitiſſe ait. Tum etiamſi horum nihil exſtaret, tamen omninò putandum eſt, aliquando extitiſſe. *Nihil enim*, inquit ille, *ſub cælo novum eſt, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt; jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* S. Sic eſt. G. Ac quod de varietate ac diverſitate legum dicitur, quaſi illa nullam legum condendarum artem eſſe arguat. Primùm ſi quid in legibus condendis, vel imperitia, vel cupiditate, vel alia aliqua animi labe peccetur, (ut ſæpe accidit, cum precio leges figuntur ac refiguntur,) id artem non convellere, per ſe, niſi fallor, lucet. Præter quòd varietas quæ in legibus accidit, tantum abeſt ut artem tollat, ut eam vel maximè ſtabiliat. Etenim nihil eſt quod arti ac prudentiæ magis congruat, quam rebus ſubjectis & earum circumſtantijs, quæ ſæpe mutantur, leges quæ de ijs feruntur accommodare. Cui adde, quòd non quilibet, ſed is demum qui verè arte præditus eſt, intelligit, unam eandemque rem, quantum ad formam externam attinet, multis modis rectè habere ſe poſſe: quod ex artis ipſius & naturæ abundantia contingit. Nam cùm nullum unum uni tam ſit ſimile, quàm homo eſt homini; quanta tamen figuræ oris ſit diverſitas, conſtat; & in mari nihil ſane opus eſt, ut ad eandem lineam navigetur, dummodo idem curſus teneatur. S. Probè narras. G. Et quod porrò dicitur, crebram legum humanarum mutationem facere; ut non tam ratione & conſilio, quàm divinitus, vel caſu fortuito, aut pro cujuſque voluntate & arbitrio, res ea regi videatur. Certè ſic omnino ſentiendum eſt, primam legum omnium ac principem cauſam unum eſſe Deum: ſecundam autem, naturam, & quæ ab ea exiſtunt neceſſitates ac caſus fortuiti quos vocamus: tertiam verò, artem, ſive hominem, qui primis igniculis à Deo & na-

 tura

tura acceptis, ut de Prometheo proditum est, reliquas leges inferiores, tanquam minor quidam Deus, ut Timæus ait, inde (non autem ex sensu suo) deducit, & quasi parvam quandam naturam in majore constituit. Nam quemadmodum in re nautica primæ partes Dei sunt, secundæ autem maris & tempestatis, tertiæ verò artis nauticæ, sive hominis ad utrumque se accommodantis: idem & circa jura legesque condendas accidit. In qua re tantum interest, artene quis præditus sit an non sit, quantum inter docti & indocti sapientiam interesse Pindarus ait. Nam cùm illius sapientia certa sit & stabilis, & tanquam catenis ligata; hæc contrà instabilis est & incerta: haud secus atque de Dædali statuis in fabulis est proditum, quas ligatas manere non ligatas fugere ajunt. S. Perpulchre sanè. G. Atque est quidem hæc juris ac legum condendarum ratio, non modò senior omnium populorum legibus ac institutis (ut diximus) sed & cum ipsa natura humana prodita, & ex Deo ac naturâ deducta. Constat enim, principio rerum, primum parentem, postquam Deus hominem creasset maremque & feminam fecisset, mox legem matrimonialem inde deduxisse, & in republica constituisse, qua vir patrem & matrem relinquere, & adhærere uxori jubetur. S. Ita res est. G. Nec verò ad rem pertinet, quòd nullis hæc disciplina tum inclusa erat certis regulis; quoniam ipsa vera perfectaque scientia civilis, quæ à natura homini erat insita, supra omnes est regulas. Quæ quidem tum primùm inventæ fuêre, postquam animus labe peccati obscuratus, his minoribus præsidijs, & adminiculis opus habere cœpit, ut per ea, tanquam per scalas, ad ipsam scientiam, accedente usu & natura, paulatim enitatur. S. Verum. G. Atque ita quidem si quis de omnium artium ac scientiarum præceptionibus sentiat, minimè, ut puto, errabit. Sin verò secus, existimans eas sic describi posse, ut

omnem

omnem omnino rem comprehendant, non Deus quidem, inquit Plato, sed ipse sibi mentem eripuit.

TITULUS V.

DE DEFINITIONE NOMOTHETICES.

S. QVONIAM igitur Nomotheticen, sive juris & legum condendarum artem in natura esse constat, indeq; erui posse & certa via ac ratione comprehendi; age quænam ea sit, & quomodo definiatur, ostende. G. Sanè si non quantum velimus, certè quantum possumus, præstare conabimur. Nam definitione bene constituta, divisioneque rectè inde deducta, reliqua per se quodammodo sequuntur. Et verò ne quid erremus, tres ordine definitiones adferemus: ex quibus prima substantiam sive essentiam Nomothetices continebit; altera materiam & formam; reliqua vim & effectum, propriumque ejus officium ac finem. S. *Prima* autem quænam est? G. Quæ apud Vlpianum ex Celso exstat, cùm ait, *Jus* (quo nomine scientiam ipsam juris eo loco significat) *artem esse boni & æqui.* Quod perinde est, atque si Justitiæ dixeris; unde Juris hujus nomen (nam nomina convenientia debent esse rebus) deductum esse scribit: quoniam propria omnis lationis legum substantia in hoc consistit, ut id quod rectum justumque est lege describatur. Ac cùm universæ scientiæ politicæ tres omnino sint partes: *ut* vitæ necessaria civitas habeat, quod agricolarum & opificum ministerio efficitur; *ut* libera sit, quod est rei militaris; *ut* sibi amica, quod per magistratus & judices: his *quarto* loco accedens justitia, vitam & motum per leges illi tribuit. Sic ut ea præsente omnia rectè se habeant, absente autem, vix ullum momentum ad beatam vitam bonumque civitatis statum habere videantur. Et verò cùm illorum neque accessione melior, neque decessione pe-

jor vita fiat ; absente justitia, quæ omni pondere gravior est quàm reliqua, ne digitus quidem in ea revera porrigendus est. Nam cum hæc caduca sint & mobilia, illa altissimis defixa est radicibus. S. Revera dicis. G. Et quidem *boni & æqui* potiùs quàm justitiæ artem eam dicere voluit Vlpianus, quoniam universæ justitiæ nobilissima pars, ipsum æquum bonum est, (ut posteriùs demonstrabitur,) quò, scrupulositate omissa, pleraque omnia referre verum Jurisconsultum decet: ut de Servio Sulpitio Cicero prodit. S. Ita res est. G. Ac vocatur quidem *ars*, quoniam suis regionibus ac finibus circumscripta, certis & nunquam fallentibus doctrinis ac præceptis, ex naturâ haustis ac delibatis, & in unum exitum spectantibus, constat: quod artis est proprium. S. Jam *altera* definitio quænam est? G. Quam Justinianus Imperator ab Vlpiano sumptam ponit, cùm ait : *JVRISPRVDENTIA est divinarum & humanarum rerum notitia, justi & injusti scientia.* Ubi cùm res divinæ & humanæ pro materia subjecta sint, justum & injustum pro forma habentur. Quia enim reipublicæ, quemadmodum hominis, duæ sunt partes, corpus & animus: res divinæ & humanæ pro corpore; justitia autem & jus pro animo sunt. S. Probè. G. Nec verò abs re est, quòd cùm justi & injusti scientia dicatur, quod intelligentiæ est: quæ à capite rem accersens, per causas & earum continuationes eam cognoscit, principiis à Deo ipso, qui prima rerum omnium causa est, repetitis. Rerum divinarum & humanarũ *notitia* tantùm dicitur, ad discrimẽ opinionis, quæ circa interiora & eorum simulachra & imagines duntaxat versatur. Nam præterquam quòd formarum, quæ perpetuæ sunt, propriè scientia est; materiæ autem, quæ immutatur, non scientia, sed notitia: tum ratio quoque dictat, ejus quo disciplina ipsa continetur, cujusmodi est forma, scientiam esse habendam; eorum autem circa quæ versatur, cujusmodi est materia,

ria, notitiam sufficere, quatenus ad formam in ea discernendam ac dijudicandam sat est. Nam haud parum sæpe accidit, ut diversi artifices circa unam & eandem rem versentur, non simpliciter quidem & absolutè; sed quatenus suo cujusque instituto convenit. Quo quidem modo de natura hominis & Hippocrates tractat ut medicus, & Plato ut philosophus: & de arboribus cædendis Varro ut rei rusticæ scriptor, & Vlpianus ut jurisconsultus. S. Optimè sanè. G. Atque ab istis quidem duobus, nempe quòd circa res divinas & humanas, justumque & injustum hæc facultas versatur, & in scientia pariter & notitia consistit; nomen illi tributum est, *Jurisprudentia.* Nam *juris* nomine, justi & injusti circa res divinas & humanas descriptio continetur: *prudentia* autem, quæ tanquam Ianus bifrons, nunc supera spectat nunc infera, scientia pariter & notitia. Vnde fit ut & *sapientia civilis* apud Pomponium vocetur: sic ut *sapientiæ* vocabulum pro prudentia, *civilis* pro republica, justa descriptione accipiatur. Et *philosophia* apud Vlpianum: quæ à jurisprudentia & sapientia civili non nisi sono nominis differt. Nam cum philosophia secundùm nominis sui rationem, tum quidem amor boni sit, quod juris & justitiæ est in rebus civilibus tractandis; tum autem scientia veri, quod sapientiæ ac prudentiæ: per se patet, eandem omnium horum nominum vim esse & effectum. S. Revera dicis. G. Quæ quidem, quòd tria sunt numero, & ex duobus vocabulis constant, cum eo congruit; quòd hæc scientia in ter binis spectatur, nempe in scientia & notitia justi & injusti, rerum divinarum & humanarũ. S. Dehinc de *tertia* definitione Nomothetices exspecto ut dicas. G. Hæc autem ita se habet. *Nomothetice ars est ac scientia civilis ac regia, qua justitia in hominem ac rempublicam per jura legesq́. inducitur.* S. Cur artem vocas civilem ac regiam? G. Quoniam reipublicæ re-

gendæ

gendæ præest, ut suprà demonstravimus. S. Cur circa justitiam eam dicis versari? G. Quia quemadmodum medicinæ proprium munus est, sanitatem in corpus, ita Nomothetices est, iustitiam in animum inducere. Nam quod sanitas est corpori, hoc justitiam in animo esse Socrates probat, & nos inferiùs latiùs explicabimus. Atque hunc quidem finem disciplinæ politicæ esse propositum, docet Sapiens, cùm ait; *Diligite justitiam qui judicatis terram*. S. Cur circa hominem & rempublicam? G. Quia uti corpus medicinæ, ita homo quantum ad animum attinet, & respublica Nomotheticæ subiecta est, ad justitiam in ea inducendam: sic ut duo illa semper inter se conjungantur. Quod quidem ita fieri debere, ea te inter cætera Plato demonstrat, quòd libros suos de optimo civitatis statu, tum quidem De republica inscribit, tum autem De justo. Et Poëta, plenam perfectamque reipublicæ descriptionem duobus versibus comprehendens: *O Regina* (inquit) *novam cui condere Juppiter urbem, Justitiaq́ dedit gentes frenare superbas*. Et Juppiter civilem vitam in hominum cœtus inducturus, Pudorem & Justitiam per Mercurium misisse, in Protagora scribitur. Nec alio quoque pertinet quòd Christus ipse in Evangelio, regnum Dei quæri jubet & justitiam ejus: addens alio loco, deficiente justitia in populo Israëlitico, fore ut & regnum Dei ab iis auferatur. Et quidem non solum hominem, sed & *rempublicam* huic disciplinæ subjectam esse dicimus; quia optandum quidem esset, virum politicum singulos homines obire & justos efficere posse, quod primarium est: sed quoniam id fieri nequit, proximum ei est, ut civitate constituta, eam generaliter & universè quàm queat justissimè describat, licet singuli qui in ea degunt homines, alii boni, alii mali, alii perfecti, alii imperfecti sint. Uti & de ecclesia sua Dominus ipse ait. S. Cur denique *circa jura legesq́*? G. Quia

quod

quod in arte medica pharmaca sunt ad sanitatem in corpus inducendam: hoc in ista disciplina sunt jura & leges, per quas tanquam instrumenta media inter justitiam & rempublicam interjecta, unum cum alio conjungitur, & tum quidem actiones justitiæ certis præceptionibus comprehenduntur, tum autem ipsi homines certa via ac ratione ad eas suscipiendas præparantur. Unde fit ut leges in sacris literis justificationes appellentur, quasi per quas homines justitiæ participes efficiantur. S. Præclarè narras. G. Et quidem cùm præcipuum hujus disciplinæ officium sit, leges ferre ac constituere ad justitiam in hominem inducendam, fit ut & nomen inde acceperit. Nam Nomothetice haud aliud est, quàm si legum latricem sive conditricem artem dixeris. S. Verum. G. Sed hæc quidem de tribus Nomothetices definitionibus; quæ quàm aptæ & convenientes inter se sint, per se, nisi fallor, patet jam satis.

TITULUS VI.

DE DIVISIONE NOMOTHETICES.

S. IGitur de divisione Nomothetices quid deinceps habes dicere? G. Enimverò quemadmodum in plerisque aliis disciplinis accidit, ita & hanc tum quidem Theoreticen esse ajo, tum autem Practicen. S. Quam vocas Theoreticen? G. Quæ circa cognitionem eorum versatur, eaque ex naturæ obobscuritate eruit, quæ ad justitiam in rempublicam per leges inducendam pertinent. S. Practicen verò? G. Quæ reipsa id præstat, justitiam in rempublicam per leges inducens. Sed nobis primum dicendum est de Theoretice: nam haud sanè ad agendum paratus esse quis potest, nisi priùs ea quæ agenda sunt, cognorit. S. Ergo de Theoretice quid ais? Anne & illa rursum suas habet species, in quas dividatur? G. Habet verò: nam & simplex est, & conjuncta. S. Quæ est Simplex? G.

Quæ de supradictis, hoc est, justitia in rempublicam per legem inducenda, simpliciter & absolutè tractat, docens separatè ac seorsim quid justitia sit, quid respublica, quid lex. Nam haud sanè viam ac rationem cernere quis queat, quâ justitia in rempublicam per legem inducatur, nisi quid eorum quidque sit sigillatim antè cognòrit. S. Quæ Conjuncta? G. Quæ quo pacto tria illa natura inter se affecta sint, & quónam modo juncta se habeant, ostendit; absque quo certè nulla ratione fieri queat ut ad opus quis accedat. Nam quemadmodum in naturali parte medicinæ primùm elementa quæ vocantur & eorum qualitates per se cognoscendæ sunt, quod simplicis partis est, tum autem eorum mixturæ & temperamenta, quod conjunctæ: ita & hîc usu venit. S. Intelligo. G. Verùm cùm Simplex pars conjunctam naturâ præcedat; de ea priùs nobis est explicandum. S. At quonam autem pacto? G. Quoniam circa justitiam in rempublicam per legem inducendam, tota res, ut jam diu diximus, versatur; *primùm* de republica dicam, ut materia subjecta ante omnia cognoscatur, & à principe Deo, à quo omnes res divinæ & humanæ, quarum in definitione Iurisprudentiæ primùm fit mentio, profluunt, exordium capiatur: *Deinde* de justitia, quæ & ipsa à Deo procedit, ut forma quæ in materiam inducenda est, cujus definitio Iurisprudentiæ secundo loco meminit, intelligatur: *Tum* autem de lege, quæ originem quoque suam à divina mente ducens, tanquam pro instrumento est medio inter justitiam & rempublicam interjecto, ad unum cum alio conjungendum. S. Quid ergo? visne de singulis te interrogem? G. Sanè volo; sed ea qua dictum est lege: nempe ut summa rerum capita, tanquam fastigia quædam, pro ætatis & ingenii nostri mediocritate, duntaxat attingamus; alia autem majoribus illis libris relinquamus, unde hauriri poterunt.

JOACHI-

JOACHIMI HOPPERI
DE VERA JURISPRUDENTIA
LIBRI IV.
TITULUS VI.
DE DICASTICE ET EIUS DIVISIONE.

S. ABsoluta igitur Nomothetice, quid? anne sequitur de Dicastice mihi ut respondeas? nam hic ordo nobis est propositus. G. Verum. S. Hanc ergo quomodo describis? G. Aio artem esse, quæ ex Nomothetice desumpta, viam ac rationem tradit, qua jure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, justitia in rempublicam inducitur: quod quia per judicia potissimum efficitur, nomen inde accepit. S. Rectè. G. Ac est quidem ideo necessaria, quoniam non potest Nomotheticus solus omnia obire, ut suprà probavimus; sed opus habet magistratibus sub se, quibus tanquam oculis & auribus manibusque & pedibus utitur, ipse in summa reipublicæ arce residens cunctaque contemplans. S. Probè G. Nec verò conveniret, majorem illam curam ipsum relinquere, & inferioribus rebus operam dare: quoniam Apostoli negabant se prædicationem verbi Dei deserturos, & ministraturos mensis, sed mandabant eam rem Diaconis. S. Pulchrè. G. Et est res perinde atque si in media urbe fontem fingas, unde ad omnes urbis regiones aqua ducatur: cui rei cùm unus sit præpositus curator aquarum, qui veram fontis gubernandi & aquæ ducendæ rationem solus teneat, alios sub se habeat qui singuli singulis regionibus urbis præsint, & licet ipsam artem non habeant, rationem tamen tenent qua mandata ejus exequantur, quorum curam ipse gerat utrum rectè faciant nec ne. Uti de Minoë legislatore fiebat, qui Dicastas

ſub ſe habebat duos, Rhadamantum in urbe, & Talum in agro. S. Quid? hanc Dicaſticam quomodo dividis? G. In Intelligentiam juris ac legum per Nomotheticen conſtitutarum (nam abſque illa nulla poteſt fieri executio) & ipſam Executionem: de quibus ſingulis exponemus.

TITULUS VII.

DE INTELLIGENTIA IVRIS ET LEGVM, EIVSQVE DIVISIONE.

S. INTELLIGENTIA juris ac legum quonam modo paratur? G. Recta docendi diſcendique juris ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur. S. Quibus verò illis? G. Scholaſtica, quæ in ſcholis ferè locum habet; Forenſi, quæ in judicio; & Politica, quæ in republica. Quamquam omnes ſunt omnium: quoniam quæ in ſcholis traduntur, animos ad ea præparant quæ in foro & republica geruntur.

TITULUS XXIII.

DE POLITICA IVRIS AC LEGVM INTERPRETATIONE.

S. HABEO de ſcholaſtica ac forenſi juris ac legum interpretatione: de Politica nunc reddito. G. Hæc ab eo nomen habet, quòd in ſenatu ac republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrùm rectè latæ ſint nec ne inquiritur, potiſſimum verſatur. Et adeo neque in communibus ſcholis tractari debet, ubi leges ipſas juvenes, non autem judicium de legibus, quas ut Deas colere oportet, addiſcere debent; neque in foro ac tribunali, ubi ſecundùm leges non de ijs eſt judicandum. S. Rectè. G. Sed maximè omnium pertinet ad eos qui arte Nomothetica inſtructi (nam inde proximè effluit) legibus in civitate ſunt præpoſiti. Quos nocturnos judices ac ſenes Plato in ſecunda Socratis republica vocat. Deinde ad ſummos etiam Dicaſtas, qui Nomothetis proximi,

proximi, aliquam etiam circa leges inferiores constituendas ac corrigendas partem obtinent, ut post dicetur. Post ad maximos quosque legum doctores, ætate, eruditione, & virtute præstantes, qui hanc facultatem cum ijs seorsim communicare possunt, qui tricesimum quintum annum egressi, tales se jam in studijs & vita moribusque probaverint, ut, etiamsi quas leges inferiores non optimè constitutas reperiant, non tamen ob id minus eas colendas, & tanquam tutelares civitatis deos, ut dictum est, in pretio habendas putent, censentes tum quidem se nondum satis eas intelligere, tum verò dominabus etiam discolis esse parendum. Quos utique in hac disciplina convenit exerceri, ut ubi ad rempublicam venerint, eam quam oportet operam circa usum & exercitium legum navare possint. S. Probè. G. Sed qui aliter sunt affecti, quemadmodum ad interiorem illam partem reipublicæ, ita nec ad hanc disciplinam admitti debent: ne ea instructi supra leges se efferant, &, si quid in ijs non verissimum fortasse reperiant, totas rejicere & abolere contendant. quemadmodum sæpe accidisse, & quidem hoc tempore contingere, videmus. Nec aliò pertinet quod dicit Dominus: non esse sanctum dandum canibus, nec projiciendas margaritas ante porcos, ne fortasse conculcent eas pedibus & conversi dirumpant nos. S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quandam Nomotheticæ, de qua suprà expositum est: & ideo quæ de ea jam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. In quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est Primum? G. Vt certa via ac ratione dijudices utrum leges latæ rectè se habeant, nec ne: idque tum quidem secundum substantiam, quoad res; tum autem secundum formam, quoad personas; tum verò secundùm naturalia, quoad res & perso-

nas, prout suprà est expositum. Atque hæc quidem est interpretatio, quæ à primis principijs repetita hominem verè prudentem & politicum efficit, & ad rempublicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod secundum? G. Vt si inveniatur, legem non rectè se habere, dispicias ecquid mutanda sit nec ne: nam sæpe fit ut quædam sint in republica non optima, quæ tamen non sunt mutanda, nempe cùm plus periculi & mali in mutatione est, quàm in ipsa re boni, ut suprà latiùs est expositum.

TITULUS XXVIII.

DE VULGARI JURISPRUDENTIA.

S. EXPOSITIS igitur ijs quæ ad Veram Jurisprudentiam pertinent; quid, visne de Vulgari Jurisprudentia, & Assimulata deinceps te interrogem? G. Volo sanè: ac primùm quidem de Vulgari dicam, deinde de Assimulata, quid sit, quomodo dividatur, & quis ejus sit usus. S. Ergo Vulgarem Jurisprudentiam quam vocas? G. Facultatem administram, quæ circa unius alicujus populi leges, earumque vulgarem intelligentiam & usum versatur. S. Quamobrem facultatem administram vocas? G. Quoniam non princeps ars est ac scientia, ut Vera; sed ancillula quædam ejus ac pedissequa, cujus opera utitur, ut mox dicetur: & ideo qui illi præsunt, non veri & expressi sed plebeij sunt ac minuti Jurisconsulti. S. Cur circa unius alicujus populi leges eam dicis versari? G. Quoniam licet apud plerasque nationes exstet, per se tamen non universalis est sed legibus specialibus circa quas versatur ita astricta, ut ijs sublatis simul & ipsa intereat. Quod significare volebat Imperator ille, qui uno die totam Jurisconsultorum Romanorum sapientiam è medio se sublaturum minabatur. Ac si quid subinde veræ scientiæ hoc genus homines habere videntur, non ratione & arte constat,

constat, sed bonitate naturæ, ut Plato ait, & multarum rerum memoria cum longo usu & experientia conjuncta, quæ sæpe similitudinem quandam ac faciem gerit sapientiæ cùm non sit. Nam quemadmodum qui in sole ambulant, tamen colorantur; ita qui in continenti rerum usu versantur aliquid subinde sapientiæ colligere videntur, licet eam revera ne primoribus quidem labris atttigerint, Verumq; Jurisconsultum ne pictum quidem, ut dicitur, viderint. S. Quamobrem adjicis, ad vulgarem legum intelligentiam & usum hanc jurisprudentiam pertinere? G. Quoniam cum legum duplex sit tractatio; una Vera, quæ certa ratione ac intelligentia constat, & altera Communis, quæ opinione fertur vaga & incerta, Prior ad veram jurisprudentiam, Posterior ad hanc vulgarem pertinet. Et quidem cùm Prima brevis sit & sibi semper consentiens, quoniam certis finibus circùmscripta arteque tota tincta, eâ tanquam mensura utitur, ad quam unamquamque rem propositam dimetitur: Vulgaris contrà quia mensura caret, nec definitam habet regionem cujus terminis septa teneatur, nec certum quid quod sequatur, infinita est & contentionibus plena, multisque difficultatibus obstructa, ut ex immensis scriptis eorum qui illam sequuntur, & opinionum varietatibus, quibus summa dissensione certantes, tanquam fluctibus in vasto mari sursum ac deorsum jactantur, videre licet. Qui quidem certis quibusdam destinatisque sententijs quasi addicti & consecrati, alij in aliorum auctoritate delitescentes cùm ipsi nihil clarè videant, haud absimiles ijs sunt, qui noctu oberrantes eò accurrunt, ubi plurimas voces aliorum, æquè atque ipsi oberrantium, attolli audiunt: vel qui, cùm ratione non possunt clamore vincere student. S. Quid? Jurisprudentiam hanc Vulgarem quomodo dividis? G. In duas facultates, quemadmodum ipsam Veram

suprà

suprà partiti sumus. S. Quas autem illas? G. In facultatem Leguleiorum & Pragmaticorum. S. Quos vocas Leguleios? G. Qui veræ legum intelligentiæ expertes & ignari, circa verba earum duntaxat & antiquitates versantur: haud aliter atque si quis verba quidem Arithmetica calleat, ipsam autem Arithmeticam prorsus ignoret. S. Quos Pragmaticos? G. Qui & ipsi à vera legum scientia alieni, circa varias quæstiunculas ex legibus deductas versantur, quibus congerendis ac memoriæ mandandis operam navant: haud secus atque si quis multos quidem numeros, alios alijs additos, & in se multiplicatos, partim bene partim malè computatos, memoriter teneat: ipsam autem addendi & multiplicandi artem prorsus nesciat. Unde totum hoc genus exiguum meritò habetur ac mendicum. S. Horum autem hominum quisnam est usus in republica? G. Multus sanè, si non pulcher, necessarius certè. S. At quid ita? G. Nam primùm quidem Leguleii, quorum minimè inelegans & illiberale studium est, haud contemnendam operam reipublicæ navant, cùm ijs qui ad juris Civilis principia cognoscenda ingrediuntur, & verba interpretantur & origines & antiquitates & alia ejusmodi, quæ æquum est liberum scire adolescentulum. S. Recte. G. Deinde Pragmatici nec ipsi exiguum munus in republica sustinent, cùm litibus disceptandis se præstant: quod quidem tanto diligentiùs quàm qui ad altiora nati sunt obeunt, quòd animulæ eorum majorum rerum non sunt capaces, & quòd his tractandis magnum quid in civitate se facere existimant. S. Optimè. G. Ac per hos quidem (cùm officium faciunt) idipsum Nomothetæ ac Dicastæ efficiunt, quod Apostoli per Diaconos efficiebant: quos ob id creabant ut essent qui mensis servirent, ne ipsi à docendi maximo munere aliarumque rerum majorum procuratione avocarentur. S. Probè.

G. Ac

G. Ac dicuntur autem officium facere, cùm Nomothetis ac Dicastis parent, & ex eorum præscripto rem agunt: quod cùm fit, neque facilè errare possunt, ut cæcus qui ductorem pone sequitur valde gnaviter. Quoniam res quas tractant ejusmodi fere sunt, ut non tam ipsa justitia, quam quædam ejus simulachra (de quibus vulgus ut plurimum digladiatur, uti Trojani & Græci super umbra Helenæ) in ijs insunt. In quibus sæpe non multum referre, quid ex pluribus statuatur, verè docti non ignorant: licet vulgares illi ac minutuli magnis fere clamoribus de ijs, ut pueri de nucibus, certent. S. Recte. G. Et quidem cùm veri perfectique Jurisconsulti ad prima principia omnia reducant, eoque tanquam ad clarissimos septentriones semper respiciant in totius orbis ambitu obeundo; hi communes, in quibus non tanta vis ingenij inest, ea tantùm spectant inferiora, quæ à superioribus sunt constituta, ad quæ, certis quibusdam in rebus minoribus, tanquam pharos quosdam & alia signa in mari posita spectant, ad parvæ alicujus regiunculæ navigationem obeundam.

TITULUS XXIX.

DE ASSIMULATA JURISPRUDENTIA.

S. NUnc de Assimulata Jurisprudentia quid ais? G. Ea est, quæ circa juris & justitiæ umbras versatur Quod ideo dico, quia neque leges ipsas & earum veras intelligentias persequitur, neque itidem communem rationem & usum earum sed imaginem quandam & umbram duntaxat. Quæ neque scientia constat, ut Vera; neque opinione, ut Vulgaris; sed viso solo sive phantasia, ut supra dictum est. S. Quo autem modo eam partiris? G. In Sophisticen & Rhetoricen, ut in Gorgia apud Platonem demonstratur. S. Quam vocas Sophisticen? G. Quæ argumentis brevibus ac concisis, alijsque ejusmodi rebus, non veris quidem nec verisimilibus, sed

assimulatis tantùm (quæ Sophismata propriè dicuntur) circa externas legum imagines versatur, ut in phantasiam hominis (quam vocant) eas inducat. S. Quam Rhetoricen? G. Quæ oratione latiùs fusa & ornata alijsque rebus eò pertinentibus, externas umbras justitiæ in externas hominum actiones infundere studet. S. Intelligo. G. Et quidem cum circa corporis curationem duæ versentur artes veræ, Athletica & Medicina, quas imitantur & assimulant duæ earum æmulatrices, Fucatoria & Coquinaria, circa animum idem usu venit. Vt cùm duæ ad eum excolendum exstent artes veræ, Nomothetice & Dicastice, duæ quoque earum sint æmulatrices, Sophistice ac Rhetorice, inter quas medij interjecti sunt Leguleij ac Pragmatici, de quibus jam dictum est. S. Quis autem harum æmulatricum est usus? G. Haud exiguus certè, dummodo Nomotheticæ ac Dicasticæ pareant. S. Quid ita verò? G. Nam primum, quantùm ad Sophisticen attinet, quoniam multi sunt in civitate rudes & imperiti, ad quos vera ratio adhiberi non potest, his Nomothetæ ac Dicastæ Sophistas apponunt, ut levibus quibusdam ratiunculis ad captum eorum accommodatis eos instruant, quibus legum umbras quoquo modo percipiant; ut communiter accidit. S. Teneo. G. Ac quantùm ad Rhetoricen: quoniam vulgus non ferè ex animo virtutem sequitur, nec judicia semper sufficiunt ut à malo deterreantur, constituuntur Rhetores, qui tum quidem verborum suavitate ac lenocinio, tum autem rerum externarum ritibus ac ceremonijs, cantibusque ac picturis, si non veram virtutem nec mediam, externam saltem ejus visionem ac speciem, in id genus homines inducunt. Quod quidem si non omnino optimum, necessarium certè est in republica. Nam ut ille ait: *Est quodam prodire tenus si non datur ultrà.* S. Verum. G. Atque hæc quidem

bona

bona in republica Sophistæ ac Rhetores faciunt, si Nomothetis & Dicastis, ut dixi, pareant, & ex eorum præscripto rem agant. S. Intelligo. G. Sed si contrà superbia & opinionis errore elati imperium eorum detrectent, &, quod deterius est, pro ijs ipsis, hoc est, veris Nomothetis ac Dicastis se venditent, vide quæso quantam pestem in rempublicam inferant & quam magnam stragem edant! S. Quî sic autem? dic obsecro. G. Quia cum suprà demonstratum sit, tum certò perire respublicas, cum veteres picturæ ac cantus aliaque parva magna quæ vocavimus mutantur; & leges divinæ & magnæ pro humanis & parvis aut contra humanæ & parvæ pro divinis & magnis habentur: hoc ita semper accidit, cum veris Nomothetis oppressis, Sophistæ ac Rhetores imperium civitatis per tyrannidem accipiunt. Atque hoc modo rempublicam Judaicam tum interiisse videmus, cum Scribæ eorum ac Sacerdotes in Sophistas ac Hypocritas mutati (nam eodem nomine in sacris literis censentur) in foro ac senatu dominarentur. S. Ita est. G. Atque id quidem eo etiam fit facilius & proclivius, quòd vulgus simulatione magis virtutis quàm ipsa vera & expressa capitur. Et non parùm sæpe verus Nomothetes ac Dicastes, verusque Rex, à Sophista ac Rhetore sive Tyranno perdifficulter internoscuntur, propterea quod, ut Paulus ait, Angelus tenebrarum frequenter figuram assumit Angeli lucis: sic ut qui intus tyrannus est ac lupus, foris vestem ovis & boni Regis (ut apud Aristotelem ex Platone est) ostentet: sed ex fructibus eorùm cognoscetis eos, inquit Dominus. S. Hi autem quinam sunt? G Quòd cum verus Rex ac Nomotheta ejusque Dicasta, suorum commodorum oblitus, nihil aliud studio habeat, quàm ut rempublicam secundùm tres fines supra commemoratos, quàm abundantissimam liberrimam & supra omnia quam justissimam

 simam

fimam (nam is proprius ejus finis eſt) efficiat, in quam rem omnibus viribus ac conatibus incumbit; Tyrannus ac Sophiſta contrà ad potentiam & commodum ſuum, quod animi errore ſibi finxit, omnia revocans, iiſque cuncta dimetiens, nullam juſtitiæ in populo, niſi quatenus ſib. fructuoſum putat, rationem habet: ſed hoc ſolum toto conatu dat operam, ut cunctos quàm deterrimos effectos, animique robore ac virtute ſpoliatos, ſervitute opprimat, omneſque omnium copias ac facultates ad ſe traducat. S. Probè narras. G. Et verò cùm hæc ſint duo extrema; unum bonum, quod Nomothetarum ac Dicaſtarum eſt; & alterum malum, quod pravorum Sophiſtarum ac Rhetorum; (nam & in bonam partem utrumque nomen accipitur) medij inter eos interjecti ſunt, ut dixi, Leguleij & Pragmatici, qui in utrorumque vicinitate verſantes, cum bonis ferè ſunt boni, cùm ad Nomothetas ac Dicaſtas ſe applicant; cum malis autem mali, cùm ad pravos iſtos Sophiſtas ac Rhetores. Qui equidem nihil ferè tam abſurdum & à ratione alienum, pro re ac potentia ſua ſtabilienda amplificandaque proponere poſſunt, quod non aliqua legum contortione Leguleij eorum ac Pragmatici comprobent ac defendant: ut quotidie videmus. S. Revera dicis. Sed viſne de comparatione Perfecti Juriſconſulti ad Vulgarem & Aſſimulatum, ſecundùm inſtitutum ordinem nunc dicere? G. Sanè volo: & quidem eo facto ipſum quoque Perfectum Juriſconſultum deſcribam, & quo pacto in talem quis evadat demonſtrabo: in quo finem huic inſtituto ſermonique imponam.

TITULUS XXX.

DE COMPARATIONE PERFECTI, VULGARIS, ET ASSIMULATI JURISCONSULTI.

S. ERGO comparatio Perfecti Juriſconſulti, Vulgaris, & Aſſimulati

simulati, quænam est? G. Eam autem rectiùs percipies, si imaginem aut ac similitudinem quandam tanquam ænigma ob oculos ponas in eamque tota cogitatione inspicias. S. Quamnam autem? G. Finge animo locum quendam pulchrum & amœnum, arboribusque consitum, & limpidis fontibus irriguum, ubi solis claro lumine fruentes, & res ita uti sunt intuentes nonnulli homines, sed pauci tamen, degunt, hilaresque & amicè inter se vivunt. S. Sit ita. G. In proximo autem sit specus, non omnino quidem subterranea, sed lumine dubio, ubi non arbores montes fontesve sint; sed eorum & aliarum rerum quæ supra terram exstant simulachra, ex argilla ligno marmore ficta, circa quæ homines multo plures quàm superiores versentur, ardentes faces manibus gerentes, quibus ad simulachra admotis, ea contemplantur, & uti quisque maximè circa eorum cognitionem versatus est, ita præ cæteris in honore habetur. S. Fiat. G. Post autem sit antrum subterraneum penitus obscurum & vacuum, ubi nullæ aliæ res sint quàm umbræ supradictorum simulacrorum & hominum, quæ in oppositos muros & parietes à facibus, quas dixi, jaciuntur; circa has autem magna versetur hominum multitudo, qui quid supra terram aut in media regione fit, prorsus ignorent, sed umbras illas simulacrorum, pro veris rebus ducant; quas qui ex illis in obscuro illo lumine quod à facibus procul projicitur aut in laternis à quibusdam circumfertur, acutissime vident & celerrime dijudicant, in magna apud eos sunt gratia & gloria sapientiæ. S. Miram rem fingis: sed perfice quam instituisti fabulam. G. Ex his hominibus in antro degentibus finge aliquando fieri, ut aliqui animadvertentes quoddam supra se esse lumen, eò recta via contendant; quid, ubi ad faces ipsas appropinquare cœperint, anne fore existimas, ut cùm tenebris assueti

sint, lumen id oculis non ferant; & ideo plerique ex illis rursum in antrum se recipiant, narrantes socijs locum illum superiorem esse inhabitabilem, nec usquam rectiùs quàm in ipso antro degi? S. Omnino certe. G. Sed qui in media regione forte manserint, ubi lumini illi nonnihil assueverint, caliginem ab oculis sermoverint, quid? anne contra omnino eos judicaturos existimas, nempe homines ibi degentes haud paulo suis esse feliciores, cùm in claro luminis splendore, circa res veras (nam ejusmodi simulachra esse putabunt) non autem circa obscuras & caliginosas umbras versentur? S. Nihil est dubium. G. Quin & sic finge. S. Quonam modo? G. Nempe nonnullos ex ijs qui ex infimo antro in mediam specum venerunt, & alios, animadvertentes dubium quoddam lumen superne infundi, eò recta proficisci: de his ergo quid? Vbi primum caput supra terram extulerint & clarum lumen solis aspexerint, anne futurum putas ut magnam oculorum hebetudinem, & capitis vertiginem, ob insolitum splendorem patiantur? Quem plerique non ferentes, quàm poterunt ocyssime in mediam specum revertentur; nonnulli etiam non ante fugere cessabunt, quàm in infimum antrum redierint, commemorantes sua quique in regione, quàm intolerabilis illa superior sit regio & minime ferenda. S. Non queat fieri aliter. G. Cæterùm qui illic manserint, ubi nonnihil se collegerint, & caliginem quam ob splendorem patiebantur, nonnihil detersérint, jam credo perspicis, quàm se felices judicabunt, quòd è tenebris & caligine emerserint, & ab umbris ac simulachris rerum ad res ipsas pervenerint; quas tum quidem ex umbrarum & simulacrorum similitudine quoquo modo agnoscent, tum autem maxime monstratu eorum quos ibi repererint. S. Sic est. G. Cum quibus suaviter degentes & vitam beatam

tam ducentes, utique miseros & infelices eos judicabunt à quibus discesserint, dum tenebris & caligine oppressi res fictas pro veris, ut in somniis, amplectuntur, magnisque contentionibus inter se (quod in suprema regione non fit) super ijs certant, & tandem errore & ignorantia vanaque cupiditate pleni, è vivis excedunt. S. Revera dicis. G. Itaque quid ais? anne quosdam ex illis misericordia motos sub terram redituros existimas, ut quos ibi reliquere homines, ad superiora ducant, secumque beatos faciant? G. Existimo sane: nam ad hoc vel maxime obligatos se sentient, ut non minus in alios quàm se sint animati. G. Ubi ergo eò venerint, uno aut altero ex ijs qui in superiori regione semper vixerint fortasse comitati, & institutum urgere ceperint, dictitantes non veram illam esse vitam quã degunt sed somnolentam, nec res veras circa quas versantur, sed insomnia, quibus tanquam umbris & simulachris ludificantur, veram autem vitam & res veras supra terram exstare: quid? illis hæc dicentibus, an homines illos in dubio illo lumine & tenebris natos & educatos, ijsque assuetos, statim ijs fidem adhibituros existimas, an verò contrà pro stolidis & ineptis habituros? S. Habituros certè. G. Ac maximè quidem si nonnihil caligantes illos cespitantesque videant, quod ob subitam à luce ad tenebras mutationem utique fieri necesse est; sed ubi nonnihil se collegerint, non solùm multo acutiùs quàm alij cernent; sed & de simulachris illis & umbris haud paulo rectius judicabunt: quoniam res ipsas viderunt, quarum imagines ac similitudines partim bene partim malè factas, eas duntaxat esse referent. S. Verum. G. Cæterùm hoc alij minimè credent, utpote erroribus suis jam assuefacti: ac potissimum quidem, cùm id ij, quos superiori lumine attonitos statim intrò rediisse diximus, suo exemplo confirmabunt, sibique id ipsum acci-

disse.

Quæ de supradictis, hoc est, justitia in rempublicam per legem inducenda, simpliciter & absolutè tractat, docens separatè ac seorsim quid justitia sit, quid respublica, quid lex. Nam haud sanè viam ac rationem cernere quis queat, quâ justitia in rempublicam per legem inducatur, nisi quid eorum quidque sit sigillatim antè cognòrit. S. Quæ Conjuncta? G. Quæ quo pacto tria illa natura inter se affecta sint, & quónam modo juncta se habeant, ostendit; absque quo certè nulla ratione fieri queat ut ad opus quis accedat. Nam quemadmodum in naturali parte medicinæ primùm elementa quæ vocantur & eorum qualitates per se cognoscendæ sunt, quod simplicis partis est, tum autem eorum mixturæ & temperamenta, quod conjunctæ: ita & hìc usu venit. S. Intelligo. G. Verùm cùm Simplex pars conjunctam naturâ præcedat; de ea priùs nobis est explicandum. S. At quonam autem pacto? G. Quoniam circa justitiam in rempublicam per legem inducendam, tota res, ut jam diu diximus, versatur; *primùm* de republica dicam, ut materia subjecta ante omnia cognoscatur, & à principe Deo, à quo omnes res divinæ & humanæ, quarum in definitione Iurisprudentiæ primùm fit mentio, profluunt, exordium capiatur: *Deinde* de justitia, quæ & ipsa à Deo procedit, ut forma quæ in materiam inducenda est, cujus definitio Iurisprudentiæ secundo loco meminit, intelligatur: *Tum* autem de lege, quæ originem quoque suam à divina mente ducens, tanquam pro instrumento est medio inter justitiam & rempublicam interjecto, ad unum cum alio conjungendum. S. Quid ergo? visne de singulis te interrogem? G. Sanè volo; sed ea qua dictum est lege: nempe ut summa rerum capita, tanquam fastigia quædam, pro ætatis & ingenii nostri mediocritate, duntaxat attingamus; alia autem majoribus illis libris relinquamus, unde hauriri poterunt.

JOACHI-

JOACHIMI HOPPERI
DE VERA JURISPRUDENTIA
LIBRI IV.

TITULUS VI.
DE DICASTICE ET EIUS DIVISIONE.

S. ABSOLUTA igitur Nomothetice, quid? anne sequitur de Dicastice mihi ut respondeas? nam hic ordo nobis est propositus. G. Verum. S. Hanc ergo quomodo describis? G. Aio artem esse, quæ ex Nomothetice desumpta, viam ac rationem tradit, qua jure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, justitia in rempublicam inducitur: quod quia per judicia potissimum efficitur, nomen inde accepit. S. Rectè. G. Ac est quidem ideo necessaria, quoniam non potest Nomotheticus solus omnia obire, ut suprà probavimus; sed opus habet magistratibus sub se, quibus tanquam oculis & auribus manibusque & pedibus utitur, ipse in summa reipublicæ arce residens cunctaque contemplans. S. Probè G. Nec verò conveniret, majorem illam curam ipsum relinquere, & inferioribus rebus operam dare: quoniam Apostoli negabant se prædicationem verbi Dei deserturos, & ministraturos mensis, sed mandabant eam rem Diaconis. S. Pulchrè. G. Et est res perinde atque si in media urbe fontem fingas, unde ad omnes urbis regiones aqua ducatur: cui rei cùm unus sit præpositus curator aquarum, qui veram fontis gubernandi & aquæ ducendæ rationem solus teneat, alios sub se habeat qui singuli singulis regionibus urbis præsint, & licet ipsam artem non habeant, rationem tamen tenent qua mandata ejus exequantur, quorum curam ipse gerat utrum rectè faciant nec ne. Uti de Minoë legislatore fiebat, qui Dicastas

sub se habebat duos, Rhadamantum in urbe, & Talum in agro. S. Quid? hanc Dicasticam quomodo dividis? G. In Intelligentiam juris ac legum per Nomotheticen constitutarum (nam absque illa nulla potest fieri executio) & ipsam Executionem: de quibus singulis exponemus.

TITULUS VII.

DE INTELLIGENTIA IURIS ET LEGUM, EIUSQUE DIVISIONE.

S. INTELLIGENTIA juris ac legum quonam modo paratur? G. Recta docendi discendique juris ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur. S. Quibus verò illis? G. Scholastica, quæ in scholis ferè locum habet; Forensi, quæ in judicio; & Politica, quæ in republica. Quamquam omnes sunt omnium: quoniam quæ in scholis traduntur, animos ad ea præparant quæ in foro & republica geruntur.

TITULUS XXIII.

DE POLITICA IURIS AC LEGUM INTERPRETATIONE.

S. HABEO de scholastica ac forensi juris ac legum interpretatione: de Politica nunc reddito. G. Hæc ab eo nomen habet, quòd in senatu ac republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrùm rectè latæ sint nec ne inquiritur, potissimum versatur. Et adeo neque in communibus scholis tractari debet, ubi leges ipsas juvenes, non autem judicium de legibus, quas ut Deas colere oportet, addiscere debent; neque in foro ac tribunali, ubi secundùm leges non de ijs est judicandum. S. Rectè. G. Sed maximè omnium pertinet ad eos qui arte Nomothetica instructi (nam inde proximè effluit) legibus in civitate sunt præpositi. Quos nocturnos judices ac senes Plato in secunda Socratis republica vocat. Deinde ad summos etiam Dicastas, qui Nomothetis proximi,

proximi, aliquam etiam circa leges inferiores constituendas ac corrigendas partem obtinent, ut post dicetur. Post ad maximos quosque legum doctores, ætate, eruditione, & virtute præstantes, qui hanc facultatem cum ijs seorsim communicare possunt, qui tricesimum quintum annum egressi, tales se jam in studijs & vita moribusque probaverint, ut, etiamsi quas leges inferiores non optimè constitutas reperiant, non tamen ob id minus eas colendas, & tanquam tutelares civitatis deos, ut dictum est, in pretio habendas putent, censentes tum quidem se nondum satis eas intelligere, tum verò dominabus etiam discolis esse parendum. Quos utique in hac disciplina convenit exerceri, ut ubi ad rempublicam venerint, eam quam oportet operam circa usum & exercitium legum navare possint. S. Probè. G. Sed qui aliter sunt affecti, quemadmodum ad interiorem illam partem reipublicæ, ita nec ad hanc disciplinam admitti debent: ne ea instructi supra leges se efferant, &, si quid in ijs non verissimum fortasse reperiant, totas rejicere & abolere contendant. quemadmodum sæpe accidisse, & quidem hoc tempore contingere, videmus. Nec aliò pertinet quod dicit Dominus: non esse sanctum dandum canibus, nec projiciendas margaritas ante porcos, ne fortasse conculcent eas pedibus & conversi dirumpant nos. S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quandam Nomotheticæ, de qua suprà expositum est: & ideo quæ de ea jam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. In quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est Primum? G. Vt certa via ac ratione dijudices utrum leges latæ rectè se habeant, nec ne: idque tum quidem secundum substantiam, quoad res; tum autem secundum formam, quoad personas; tum verò secundùm naturalia, quoad res & perso-

constat, sed bonitate naturæ, ut Plato ait, & multarum rerum memoria cum longo usu & experientia conjuncta, quæ sæpe similitudinem quandam ac faciem gerit sapientiæ cùm non sit. Nam quemadmodum qui in sole ambulant, tamen colorantur; ita qui in continenti rerum usu versantur aliquid subinde sapientiæ colligere videntur, licet eam revera ne primoribus quidem labris attigerint, Verumq; Jurisconsultum ne pictum quidem, ut dicitur, viderint. S. Quamobrem adjicis, ad vulgarem legum intelligentiam & usum hanc jurisprudentiam pertinere? G. Quoniam cum legum duplex sit tractatio; una Vera, quæ certa ratione ac intelligentia constat, & altera Communis, quæ opinione fertur vaga & incerta, Prior ad veram jurisprudentiam, Posterior ad hanc vulgarem pertinet. Et quidem cùm Prima brevis sit & sibi semper consentiens, quoniam certis finibus circùmscripta arteque tota tincta, eâ tanquam mensura utitur, ad quam unamquamque rem propositam dimetitur: Vulgaris contrà quia mensura caret, nec definitam habet regionem cujus terminis septa teneatur, nec certum quid quod sequatur, infinita est & contentionibus plena, multisque difficultatibus obstructa, ut ex immensis scriptis eorum qui illam sequuntur, & opinionum varietatibus, quibus summa dissensione certantes, tanquam fluctibus in vasto mari sursum ac deorsum jactantur, videre licet. Qui quidem certis quibusdam destinatisque sententijs quasi addicti & consecrati, alij in aliorum auctoritate delitescentes cùm ipsi nihil clarè videant, haud absimiles ijs sunt, qui noctu oberrantes eò accurrunt, ubi plurimas voces aliorum, æquè atque ipsi oberrantium, attolli audiunt: vel qui, cùm ratione non possunt clamore, vincere student. S. Quid? Jurisprudentiam hanc Vulgarem quomodo dividis? G. In duas facultates, quemadmodum ipsam Veram

suprà

suprà partiti sumus. S. Quas autem illas? G. In facultatem Leguleiorum & Pragmaticorum. S. Quos vocas Leguleios? G. Qui veræ legum intelligentiæ expertes & ignati, circa verba earum duntaxat & antiquitates versantur: haud aliter atque si quis verba quidem Arithmetica calleat, ipsam autem Arithmeticam prorsus ignoret. S. Quos Pragmaticos? G. Qui & ipsi à vera legum scientia alieni, circa varias quæstiunculas ex legibus deductas versantur, quibus congerendis ac memoriæ mandandis operam navant: haud secus atque si quis multos quidem numeros, alios aliis additos, & in se multiplicatos, partim bene partim malè computatos, memoriter teneat: ipsam autem addendi & multiplicandi artem prorsus nesciat. Unde totum hoc genus exiguum meritò habetur ac mendicum. S. Horum autem hominum quisnam est usus in republica? G. Multus sanè, si non pulcher, necessarius certè. S. At quid ita? G. Nam primùm quidem Leguleii, quorum minimè inelegans & illiberale studium est, haud contemnendam operam reipublicæ navant, cùm iis qui ad juris Civilis principia cognoscenda ingrediuntur, & verba interpretantur & origines & antiquitates & alia ejusmodi, quæ æquum est liberum scire adolescentulum. S. Rectè. G. Deinde Pragmatici nec ipsi exiguum munus in republica sustinent, cùm litibus disceptandis se præstant: quod quidem tanto diligentiùs quàm qui ad altiora nati sunt obeunt; quòd animulæ eorum majorum rerum non sunt capaces, & quòd his tractandis magnum quid in civitate se facere existimant. S. Optimè. G. Ac per hos quidem (cùm officium faciunt) idipsum Nomothetæ ac Dicastæ efficiunt, quod Apostoli per Diaconos efficiebant: quos ob id creabant ut essent qui mensis servirent, ne ipsi à docendi maximo munere aliarumque rerum majorum procuratione avocarentur. S. Probè.

G. Ac

G. Ac dicuntur autem officium facere, cùm Nomothetis ac Dicastis parent, & ex eorum præscripto rem agunt: quod cùm fit, neque facile errare possunt, ut cæcus qui ductorem pone sequitur valde gnaviter. Quoniam res quas tractant ejusmodi fere sunt, ut non tam ipsa justitia, quam quædam ejus simulachra (de quibus vulgus ut plurimum digladiatur, uti Trojani & Græci super umbra Helenæ) in ijs insunt. In quibus sæpe non multum referre, quid ex pluribus statuatur, verè docti non ignorant: licet vulgares illi ac minutuli magnis fere clamoribus de ijs, ut pueri de nucibus, certent. S. Recte. G. Et quidem cùm veri perfectique Jurisconsulti ad prima principia omnia reducant, eoque tanquam ad clarissimos septentriones semper respiciant in totius orbis ambitu obeundo; hi communes, in quibus non tanta vis ingenij inest, ea tantùm spectant inferiora, quæ à superioribus sunt constituta, ad quæ, certis quibusdam in rebus minoribus, tanquam pharos quosdam & alia signa in mari posita spectant, ad parvæ alicujus regiunculæ navigationem obeundam.

TITULUS XXIX.

DE ASSIMULATA JURISPRUDENTIA.

S. NUnc de Assimulata Jurisprudentia quid ais? G. Ea est, quæ circa juris & justitiæ umbras versatur Quod ideo dico, quia neque leges ipsas & earum veras intelligentias persequitur, neque itidem communem rationem & usum earum sed imaginem quandam & umbram duntaxat. Quæ neque scientia constat, ut Vera; neque opinione, ut Vulgaris; sed viso solo sive phantasia, ut suprà dictum est. S. Quo autem modo eam partiris? G. In Sophisticen & Rhetoricen, ut in Gorgia apud Platonem demonstratur. S. Quam vocas Sophisticen? G. Quæ argumentis brevibus ac concisis, alijsque ejusmodi rebus, non veris quidem nec verisimilibus, sed assimu-

assimulatis tantùm (quæ Sophismata propriè dicuntur) circa externas legum imagines versatur, ut in phantasiam hominis (quam vocant) eas inducat. S. Quam Rhetoricen? G. Quæ oratione latiùs fusa & ornata alijsque rebus eò pertinentibus, externas umbras justitiæ in externas hominum actiones infundere studet. S. Intelligo. G. Et quidem cum circa corporis curationem duæ versentur artes veræ, Athletica & Medicina, quas imitantur & assimulant duæ earum æmulatrices, Fucatoria & Coquinaria, circa animum idem usu venit. Vt cùm duæ ad eum excolendum exstent artes veræ, Nomothetice & Dicastice, duæ quoque earum sint æmulatrices, Sophistice ac Rhetorice, inter quas medij interjecti sunt Leguleij ac Pragmatici, de quibus jam dictum est. S. Quis autem harum æmulatricum est usus? G. Haud exiguus certè, dummodo Nomotheticæ ac Dicasticæ pareant. S. Quid ita verô? G. Nam primum, quantùm ad Sophisticen attinet, quoniam multi sunt in civitate rudes & imperiti, ad quos vera ratio adhiberi non potest, his Nomothetæ ac Dicastæ Sophistas apponunt, ut levibus quibusdam ratiunculis ad captum eorum accommodatis eos instruant, quibus legum umbras quoquo modo percipiant; ut communiter accidit. S. Teneo. G. Ac quantùm ad Rhetoricen: quoniam vulgus non ferè ex animo virtutem sequitur, nec judicia semper sufficiunt ut à malo deterreantur, constituuntur Rhetores, qui tum quidem verborum suavitate ac lenocinio, tum autem rerum externarum ritibus ac ceremonijs, cantibusque ac picturis, si non veram virtutem nec mediam, externam saltem ejus visionem ac speciem, in id genus homines inducunt. Quod quidem si non omnino optimum, necessarium certè est in republica. Nam ut ille ait: Est quodam prodire tenus si non datur ultrà. S. Verum. G. Atque hæc quidem

bona

bona in republica Sophistæ ac Rhetores faciunt, si Nomothetis & Dicastis, ut dixi, pareant, & ex eorum præscripto rem agant. S. Intelligo. G. Sed si contrà superbia & opinionis errore elati imperium eorum detrectent, &, quod deterius est, pro ijs ipsis, hoc est, veris Nomothetis ac Dicastis se venditent, vide quæso quantam pestem in rempublicam inferant & quam magnam stragem edant! S. Quî sic autem? dic obsecro. G. Quia cum suprà demonstratum sit, tum certò perire respublicas, cum veteres picturæ ac cantus aliaque parva magna quæ vocavimus mutantur; & leges divinæ & magnæ pro humanis & parvis aut contra humanæ & parvæ pro divinis & magnis habentur: hoc ita semper accidit, cum veris Nomothetis oppressis, Sophistæ ac Rhetores imperium civitatis per tyrannidem accipiunt. Atque hoc modo rempublicam Judaicam tum interiisse videmus, cum Scribæ eorum ac Sacerdotes in Sophistas ac Hypocritas mutati (nam eodem nomine in sacris literis censentur) in foro ac senatu dominarentur. S. Ita est. G. Atque id quidem eo etiam fit facilius & proclivius, quòd vulgus simulatione magis virtutis quàm ipsa vera & expressa capitur. Et non parùm sæpe verus Nomothetes ac Dicastes, verusque Rex, à Sophista ac Rhetore sive Tyranno perdifficulter internoscuntur, propterea quod, ut Paulus ait, Angelus tenebrarum frequenter figuram assumit Angeli lucis: sic ut qui intus tyrannus est ac lupus, foris vestem ovis & boni Regis (ut apud Aristotelem ex Platone est) ostentet: sed ex fructibus eorum cognoscetis eos, inquit Dominus. S. Hi autem quinam sunt? G. Quòd cum verus Rex ac Nomotheta ejusque Dicasta, suorum commodorum oblitus, nihil aliud studio habeat, quàm ut rempublicam secundùm tres fines supra commemoratos, quàm abundantissimam liberrimam & supra omnia quam justissimam

 simam

simam (nam is proprius ejus finis est) efficiat, in quam rem omnibus viribus ac conatibus incumbit; Tyrannus ac Sophista contrà ad potentiam & commodum suum, quod animi errore sibi finxit, omnia revocans, ijsque cuncta dimetiens, nullam justitiæ in populo, nisi quatenus sibi fructuosum putat, rationem habet: sed hoc solum toto conatu dat operam, ut cunctos quàm deterrimos effectos, animique robore ac virtute spoliatos, servitute opprimat, omnesque omnium copias ac facultates ad se traducat. S. Probè narras. G. Et verò cùm hæc sint duo extrema; unum bonum, quod Nomothetarum ac Dicastarum est; & alterum malum, quod pravorum Sophistarum ac Rhetorum; (nam & in bonam partem utrumque nomen accipitur) medij inter eos interjecti sunt, ut dixi, Leguleij & Pragmatici, qui in utrorumque vicinitate versantes, cum bonis ferè sunt boni, cùm ad Nomothetas ac Dicastas se applicant; cum malis autem mali, cùm ad pravos istos Sophistas ac Rhetores. Qui equidem nihil ferè tam absurdum & à ratione alienum, pro re ac potentia sua stabilienda amplificandaque proponere possunt, quod non aliqua legum contortione Leguleij eorum ac Pragmatici comprobent ac defendant: ut quotidie videmus. S. Revera dicis. Sed visne de comparatione Perfecti Jurisconsulti ad Vulgarem & Assimulatum, secundùm institutum ordinem nunc dicere? G. Sanè volo: & quidem eo facto ipsum quoque Perfectum Jurisconsultum describam, & quo pacto in talem quis evadat demonstrabo: in quo finem huic instituto sermonique imponam.

TITULUS XXX.

DE COMPARATIONE PERFECTI, VULGARIS, ET ASSIMULATI JURISCONSULTI.

S. ERGO comparatio Perfecti Jurisconsulti, Vulgaris, & Assimulati.

simulati, quænam est? G. Eam autem rectiùs percipies, si imaginem aut ac similitudinem quandam tanquam ænigma ob oculos ponas in eamque tota cogitatione inspicias. S. Quamnam autem? G. Finge animo locum quendam pulchrum & amœnum, arboribusque consitum, & limpidis fontibus irriguum, ubi solis claro lumine fruentes, & res ita uti sunt intuentes nonnulli homines, sed pauci tamen, degunt, hilaresque & amicè inter se vivunt. S. Sit ita. G. In proximo autem sit specus, non omnino quidem subterranea, sed lumine dubio, ubi non arbores, montes fontesve sint; sed eorum & aliarum rerum quæ supra terram exstant simulachra, ex argilla ligno marmore ficta, circa quæ homines multo plures quàm superiores versentur, ardentes faces manibus gerentes, quibus ad simulachra admotis, ea contemplantur, & uti quisque maximè circa eorum cognitionem versatus est, ita præ cæteris in honore habetur. S. Fiat. G. Post autem sit antrum subterraneum penitus obscurum & vacuum, ubi nullæ aliæ res sint quàm umbræ supradictorum simulacrorum & hominum, quæ in oppositos muros & parietes à facibus, quas dixi, jaciuntur; circa has autem magna versetur hominum multitudo, qui quid supra terram aut in media regione sit, prorsus ignorent, sed umbras illas simulacrorum pro veris rebus ducant; quas qui ex illis in obscuro illo lumine quod à facibus procul projicitur aut in laternis à quibusdam circumfertur, acutissime vident & celerrime dijudicant, in magna apud eos sunt gratia & gloria sapientiæ. S. Miram rem fingis: sed perfice quam instituisti fabulam. G. Ex his hominibus in antro degentibus finge aliquando fieri, ut aliqui animadvertentes quoddam supra se esse lumen, eò recta via contendant; quid, ubi ad faces ipsas appropinquare cœperint, anne fore existimas, ut cùm tenebris assueti

 sint

sint, lumen id oculis non ferant; & ideo plerique ex illis rursum in antrum se recipiant, narrantes socijs locum illum superiorem esse inhabitabilem, nec usquam rectiùs quàm in ipso antro degi? S. Omnino certe. G. Sed qui in media regione forte manserint, ubi lumini illi nonnihil assueverint, caliginem ab oculis sermoverint, quid? anne contra omnino eos judicaturos existimas, nempe homines ibi degentes haud paulo suis esse feliciores, cùm in claro luminis splendore, circa res veras (nam ejusmodi simulachra esse putabunt) non autem circa obscuras & caliginosas umbras versentur? S. Nihil est dubium. G. Quin & sic finge. S. Quonam modo? G. Nempe nonnullos ex ijs qui ex infimo antro in mediam specum venerunt, & alios, animadvertentes dubium quoddam lumen superne infundi, eò recta proficisci: de his ergo quid? Vbi primum caput supra terram extulerint & clarum lumen solis aspexerint, anne futurum putas ut magnam oculorum hebetudinem, & capitis vertiginem, ob insolitum splendorem patiantur? Quem plerique non ferentes, quàm poterunt ocyssime in mediam specum revertentur; nonnulli etiam non ante fugere cessabunt, quàm in infimum antrum redierint, commemorantes sua quique in regione, quàm intolerabilis illa superior sit regio & minime ferenda. S. Non queat fieri aliter. G. Caterùm qui illic manserint, ubi nonnihil se collegerint, & caliginem quam ob splendorem patiebantur, nonnihil detersérint, jam credo perspicis, quàm se felices judicabunt, quòd è tenebris & caligine emerserint, & ab umbris ac simulachris rerum ad res ipsas pervenerint; quas tum quidem ex umbrarum & simulacrorum similitudine quoquo modo agnoscent; tum autem maxime monstratu eorum quos ibi repererint. S. Sic est. G. Cum quibus suaviter degentes & vitam beatam

tam

tam ducentes, utique miseros & infelices eos judicabunt à quibus discesserint, dum tenebris & caligine oppressi res fictas pro veris, ut in somniis, amplectuntur, magnisque contentionibus inter se (quod in suprema regione non fit) super ijs certant, & tandem errore & ignorantia vanaque cupiditate pleni, è vivis excedunt. S. Revera dicis. G. Itaque quid ais? anne quosdam ex illis misericordia motos sub terram redituros existimas, ut quos ibi reliquere homines, ad superiora ducant, secumque beatos faciant? G. Existimo sane: nam ad hoc vel maxime obligatos se sentient, ut non minus in alios quàm se sint animati. G. Ubi ergo eò venerint, uno aut altero ex ijs qui in superiori regione semper vixerint fortasse comitati, & institutum urgere ceperint, dictitantes non veram illam esse vitam quā degunt sed somnolentam, nec res veras circa quas versantur, sed insomnia, quibus tanquam umbris & simulachris ludificantur, veram autem vitam & res veras supra terram exstare: quid? illis hæc dicentibus, an homines illos in dubio illo lumine & tenebris natos & educatos, ijsque assuetos, statim ijs fidem adhibituros existimas, an verò contrà pro stolidis & ineptis habituros? S. Habituros certè. G. Ac maximè quidem si nonnihil caligantes illos cespitantesque videant, quod ob subitam à luce ad tenebras mutationem utique fieri necesse est; sed ubi nonnihil se collegerint, non solùm multo acutiùs quàm alij cernent; sed & de simulachris illis & umbris haud paulo rectius judicabunt: quoniam res ipsas viderunt, quarum imagines ac similitudines partim bene partim malè factas, eas duntaxat esse referent. S. Verum. G. Cæterùm hoc alij minimè credent, utpote erroribus suis jam assuefacti: ac potissimum quidem, cùm id ij, quos superiori lumine attonitos statim intrò redijsse diximus, suo exemplo confirmabunt, sibique id ipsum accidisse.

disse commemorabunt. S. Verum. G. Quibus accedentes alij qui simulachrorum & imaginum præ cæteris periti inter eos habentur, eaque de causa in magno apud eos nomine sunt & gloria, dictantes mera insomnia esse quæ de rebus superis homines illi adserunt, & de vero lumine rebusque veris tradunt; quid anne illos plerique omnes sequenter, idemque quod ipsi statuent? S. Omnino. G. Qua re non commoti, si tamen viri illi in instituto suo pergant, & non solùm vulgus, sed & majores illos non de errore modò & ignorantia, verum etiam de ambitione cupiditate avaritia & alijs vitijs liberè reprehendant, quid? anne tandem futurum existimas, ut non tantùm pro stolidis & imperitis, sed & pro improbis & injustis atque adeò nepharijs ac seditiosis hominibus habeantur, atque ut ejusmodi, alij cum probro eijciantur, alij infamia notentur, alij flagris cædantur, alij denique morte mulctentur? S. Maximè. G. Qua quidem re fiat, ut optimis illis viris plerisque sublatis, homines illi in tenebris suis umbrisque maneant, nec quemquam qui secus suaserit, admittant. S. Verum. G. Nisi fortasse pauculi aliqui reperiantur, qui aurem illis præbentes, ad meliora se referant, eorumque ductum sequentes, à simulachris & imaginibus veli penitus se abducant, vel certè non pro veris rebus eas habeant, quas apud solos superos exstare censeant, quò ut perveniant omni conatu adnitantur. Quod quidem qui faciunt, primùm vel eo ipso sunt felices, quòd ita sentiunt viamque illam insistunt; tum autem felicissimi efficiuntur, cùm ad res ipsas superas ipsumque lumen superum eos evadere contingit. An non? S. Maximè. G. Ergo cùm ænigma ita se habeat, jam ad rem propositam, si placet, breviter (nam cætera tacitæ cujusque cogitationi relinquenda sunt) accommodemus. S. Placet. G. Et quidem cùm ea de causa

causa in hunc sermonem digressi sumus, ut quæ inter Veram & Vulgarem Assimulatamque jurisprudentiam comparatio sit demonstremus; quid? Veram ubinam potissimùm ponemus, anne ea in parte supra terram, ubi clarissimo lumine omnia circumfundi diximus? S. Ibi sanè. G. Vulgarem autem an alibi, quam ea in regione quam mediam vocavimus? S. Non alibi G. Et Assimulatam denique nunquid alio loco quam in infima? S. Non alio. G. Ergo certe nobis statuendum est, quemadmodum hæ regiones, ita & gradus istos Iurisprudentiæ se habere inter sese. S. Verum. G. Sic ut primo loco sit Vera Iurisprudentia, secundo Vulgaris inde dependens, & tertio Assimulata, ordine ultima: nunquid? S. Maximè. G. Qui quidem ordo si mutetur, & inferiores à superiore se dependere non solùm non agnoscant, sed quod deterius est, superiores se esse contendant; quid? an aliud eventurum existimas quàm quod jam commemoravimus? S. At quidnam autem? G. Nempe quòd dictata superioris non modò non admittent, verum etiam ridebunt & è civitate ejicient, planeque extirpabunt, si poterunt. S. Verum G. Quod quidem vult Evangelium, cùm dicit: Lucem in tenebris lucere, & tenebras eam non comprehendere, hominesque tenebras magis amare quàm lucem: unde & potestas tenebrarum dicitur, cùm superiores ab inferioribus opprimuntur, eorumque quasi tempestate obruuntur. S. Intelligo. G. Cæterùm si, uti oportet, inter se conveniant, & inferiores à superiore se dependere agnoscant, ejusque dictatis pareant, quid? anne è contrà eveniet, ut omnia quam rectissimè se habeant? S. Nihil est dubium. G. Nam hac ratione fiet, ut non modò superiora, sed & inferiora & media, ritè administrentur, & secundum ejus præscriptionem, quatenus cujusque regionis natura ferre potest, dirigantur. S. Sic est. G. Quod quidem cum fit, plena demum & perfecta omnibusque numeris ac partibus absoluta Iuris-

prudentia in republica constituta esse dicetur; quæ tum quidem tribus istis sub quaternario, tum autem ter binis subseptenario continetur. S. Præclarè. G. Qua quidem qui instructus & imbutus est, enimvero is est in quo Veri Iurisconsulti nomen meritò ponatur: de cujus descriptione nunc nobis est dicendum.

TITULUS XXXI.

DE DESCRIPTIONE PERFECTI JURISCONSULTI.

S. EA autem quænam est? G. Aio perfectum Jurisconsultum virum esse bonum, Vera jurisprudentia instructum. unde & Philosophus, & Sacerdos, & Jurisconsultus appellatur. S. Cur *virum bonum*? G. Quoniam principium sapientiæ timor Domini: & in cor malevolum non intrat sapientia. Estque hoc discriminis inter hanc principem disciplinam & alias inferiores; quod cum in illis nihil impediat quo minus bonus quis medicus sit & tamen male sanus; & bonus calcifex & tamen sine calceis; in hac utrumque necessariò debet esse conjunctum; sic ut nemo verè juris ac justitiæ possit esse consultus, nisi idem sit & justus: absque quo non prudentem juris & consultum, sed callidum & astutum vafrumque vocamus. Et quidem cùm ex iis circa quos Medicus versatur, alii ægri sint ad curandum, alij discipuli ad docendum; circa quos Iurisconsultus versatur, omnes ejusdem ferè sunt generis, nempe ut justitiam cum prudentia in eos inducat (quamquam hoc interest, quòd alij ad parendum duntaxat se parant, quod minoris operæ est; alij ad imperandum etiam, quod majoris) quod nisi primùm circa se præstet, non est idoneus ut circa alios id efficiat. Sicut fundamentum hujus rei ea in re sit positum, ut qui bonus Iurisconsultus est dicendus, primùm ipse bonus sit & justus. S. Cur *Vera jurisprudentia* dicis debere esse instructum? G. Quoniam ea sola perfecta cum sit, perfectum Iurisconsultum efficere potest:

Vulga-

Vulgaris autem & Assimulata, non perfectos, sed imperfectos efficiunt, quos Pragmaticos, & Leguleios, Sophistasque, & Rhetores vocari suprà audivimus; cum perfecti, Nomothetæ & Dicastæ nomen haberent. S. Cur denique tribus nominibus, *Philosophi, Sacerdotis*, & *Iurisconsulti*, eum vocari ais? G. Vt doceam perfectum Jurisconsultum verè trismegistum esse, sive ter maximum, & ter unum in republica. S. At quid ita? G. A scientia nempe, bonitate, & auctoritate sive potentia. S. Quomodo à *Scientia?* G. Quatenus verus est sapiens. Unde Jurisprudentia civilis sapientia, & vera minimeque simulata Philosophia, apud Vlpianum dicitur, & Sempronius Jurisconsultus apud Romanos Sophos cognominabatur. Et quidem inter Philosophiam & Jurisprudentiam non nisi sonum nominis interesse, jam suprà demonstratum est. nam quemadmodum Philosophia, ita & Jurisprudentia partim sapientiâ constat, ad se, juxta Delphicum oraculum foris in ingressu templi positum, noscendum; partim justitiâ, ad se regendum ac gubernandum, iuxta alterum Delphicum intus in eodem templi ingressu collocatum, quod est: Nequid nimis. Nec verò inter utrumque hominem, Philosophum nempe, & perfectum Jurisconsultum, aliud interest, quàm quòd ille secum potissimum agit, alios negligens, quod vitæ contemplativæ est: hic autem alios præcipuè curat, se minimè omittens, quod activæ. Estque res haud aliter, atque si eundem Joannem Baptistam nunc in deserto agentem spectes, quod Philosophi est; nunc populum docentem ac baptizantem, quod Jurisconsulti sive hominis politici. S. Quomodo à *bonitate*? G. Quatenus Jurisconsultus vir verè bonus ac justus est & sanctus, ut modò diximus; unde *Sacerdos* apud Vlpianum appellatur, ab illo nempe sacrificio omnium sacrificiorum maximo, quod sacrificium justitiæ in Psalmis vocatur: in quo non oves aut bo-

res, sed homines, & quidem optima eorum pars voluntas Deo offertur, & in Dei voluntate collocatur. Quod quidem sacrificium verus Jurisconsultus tum in se procurat, ad se justum probandum; tum in republica, ad justitiam in ipsam infundendã; tum in singulis in ea hominibus, ad eos bonos & justos efficiendos. Atque hoc est quod vult Vlpianus Jurisconsultus, cum *Ius autem boni & æqui esse dicit, unde meritò quis nos Sacerdotes appellet.* nam quod mox subjicit, primùm: *justitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur*, ad ipsosmet jurisconsultos pertinet, ut se justos pariter & prudentes præstent: deinde, *æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes*, ad ipsam rempublicam & res divinas & humanas, ut quemadmodum justum est, aut certe non iniustum, hoc est, licitum, describantur, & denique *bonos non solùm metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes*, ad homines qui sunt in republica, ut quàm optimi sint ac justissimi. S. Quomodo tandem ab *auctoritate* sive potentia? G. Quatenus non modo consulentibus tanquam ex oraculo de jure respondet, quod minus est; sed & toti reipublicæ, jure ac legibus constituendis tuendisque consulit, quod maius; unde & *Iurisconsulti* nomen propriè est deductum. Et apud veteres Romanos idem & Consulum & Prætorum erat nomen, inde deductum, quòd & consulendo, & judicando, & judicari jubendo præibant. Nec verò ad rem pertinet, utrũ ipsa ad rempublicam accedat, nec ne. Nam id neq; pecuniæ causa faciet, quod avari est; neq; honoris, quod ambitiosi; sed necessitate coactus, pœnæ vitandæ causa duntaxat, ne malis omnia occupantibus, illis parere cogatur, quod solum boni viri. Quoniam facultas ipsa per se hanc vim habet, ut qui ea præditus est, ea ipsa rerum quidem sibi præsit, ut Philosophus, tum autem reipublicæ, ut Jurisconsultus; tum autem sibi & reipublicæ ut Sacerdos. S. Optimè profectò. G. Atq; hæc qui-

quidem res cùm ad Dei ipsius vim ac numen proximè accedat, ejusq; vivum quoddam exemplar ac similitudinem in terris referat; fit ut hoc genus homines etiam Dii in sacris literis vocentur.

TITULUS XXXII.

QVO PACTO IN VERVM IVRISCONSVLTVM QVIS EVADAT.

S. Restat quo pacto in verum jurisconsultum quis evadat, & quænam ad eam rem requirantur, ut exponas. G. Ea autem tria sunt numero. S. Quod est *primum*? G. Vt naturam huic principi studio cognatam quis habeat. nam si quis malè, inquit Plato, affectus est natura (qualis naturaliter animi habitus inest multis) tum ad illa quæ discenda sunt, tum ad mores, eosque corruptos habeat; ne Lynceus quidem, ut ejusmodi animus videat, efficere possit. Atque ut summatim dicatur, neq; acumen neque memoria faciet unquam, ut qui rei ipsius qua de agitur non est cognatus, ipsam inspiciat. Principium enim in habitibus alienis non sortitur. Quamobrem qui justis alijsq; quæcunq; sunt pulchra non sunt apti natura atque cognati, licet alii ad alia ingeniosi simul sint & memores; rursus quicunq; cognati sunt quidem sed hebetes & memoria parum validi; nunquam ad summum discendi veritatem pervenient, vel virtutis, vel vitij. Necesse enim est ea simul perdiscere, & falsum simul & verum totius essentiæ. S. Quod *secundum*? G. Labor ingens & studium immensum: quod proposito statim perspicitur utrum natura quis verus Iurisconsultus ac Philosophus sit, nec ne. Nam si cui ostendatur, inquit Plato, quàm magna ea res sit, quantoq; studio & quantis laboribus comparetur; si verè sapientiam amat, eique naturà cognatus atq; ipsius possessione dignus est, quasi qui divinus sit, viam sibi mirabilem putat esse ostensam, perq; eam sibi omni conatu existimat gradiendum, aliterque facienti vivendum esse non censet. Itaque

se ipsum atque etiam hujus rei ducem impensius hortatur, neque prius desinit quàm vel finem omnium fuerit consecutus, vel saltem eam sibi comparaverit facultatem, per quam ipse jam sine duce ad terminum perducere valeat. Hæc igitur atque ejusmodi rationibus rem illi considerant: per universam vitam, quiquid omnino agat, ante omnia est Philosophiæ intentus, victuque quotidiano utitur, quo maximè queat ingenium & memoriam & judicium conservare, seque sobrium præstans, contrariumque huic victum semper odio habens. At verò qui non sunt revera sapientiæ amatores, sed opinionibus duntaxat extrinsecus colorati, instar eorum qui sub sole uruntur atque coloranrur; cum audierint quot discenda sunt, quanto labore, qua quotidiani victus temperantia Philosophicis studijs necessaria; rem protinus sibi duram impossibilemq; rati, ut operam ei dent, adduci non possunt. Plerique verò sibimet persuadent, sufficienter se omnia jam audivisse, neque studio prorsus ullo ulteriùs indigere. S. Quod *tertium*? G. Vt ad bonitatem naturæ, & laborem studiorum, simul & Dei numen accedat, Musaq; politica divinitus afflet: quæ res totum demum absolvit, & ad suam perfectionem adducit. Sed id, ut præclarè Plato ait, verbis nullo pacto exprimi potest, quemadmodum cæteræ disciplinæ; sed ex diuturna circa ipsum consvetudine, vitæque ad ipsum conjunctione, subitò tandem, quasi ab igne scintillante lumen refulgens advenit, & in anima seipsum jam alit. S. Pulcherrimè profectò. G. Et quidem uti bonitas naturæ per se infra artem est, studium autem humanum ita ut oportet institutum, in ipsa arte; ita hoc divinum supra artem est positum, & tàm per se plenum & perfectum, ut neque arte humana, neque bonitate naturæ indigeat; cùm sit doctrina ipsa Dei, à qua homines qui ea ita divinitus afflati & imbuti sunt à Deo docti appellantur, & sine natura & arte ipsi sibi in Deo sufficiunt. Quod secus est, si quis afflatu numinis & arte destitutus, sola naturæ bonitate ni-

titur, quod non est satis; nec etiamsi ad naturam ars sine numinis adspiratione accedat: quoniam omnis ars humana per se manca & mutila est, nisi Dei afflatu adjuvetur; nec ferè tam ea quæ artem ipsam continent, quàm quæ illam præcedunt, certa via tradi & in præcepta includi possunt. Nam quemadmodum in arte medica perfacile est ostendere, quo pacto sanguis mittatur, vomitus cieatur, urina moveatur, corpus purgetur, & alia ejusmodi, quæ artem præcedunt; cæterum quando & quousque ad sanitatem in corpus inducendam id facere oportet, hoc opus, hic labor est, & supra omnia præcepta magna ex parte positum: ita & in hac scientia civili, non admodum difficile est, de doctrina, disciplina, usu; item de sacramentis, sacris, sacrificiis; ad hæc de legibus, magistratibus, judicijs, & aliis ejusmodi, ad justum, hominem, legem pertinentibus, quæ omnia substantiam ipsam artis præcedunt, disserere. Cæterum quandonam & quousque iis uti oporteat, ad justitiam in hominem & rempublicam inducendam, in quo substantia ipsa artis consistit; hoc verò supra omnes ferè regulas expositum, & ab unâ Dei gratia maximâ ex parte dependet. S. Optime sane. G. Et ideo si singulari Dei numine quis afficitur, quod supra omnia est, & reliquis non indiget, ut jam dictum est, vera ratio ordinaria, qua in perfectum Jurisconsultum quis evadere possit, est, ut ad naturæ bonitatem, quæ primùm omnium adesse debet, laborem studiorum, & longi temporis usum & exercitium adjungat, easq; res addiscat, quas tum quidem generaliter ad sapientem & bonum efficiendum, tum autē specialiter, ad Politicam doctinam, veramq; Jurisprudentiam percipiendā, suprà diximus esse necessarias. Quibus tribus *quarto* loco continuæ ad Deum preces, & alia pia sanctaq; exercitia accedunt: sic ut quæ naturæ plantanti, arti riganti, & exercitio colenti desunt, ille sua divina gratia, quæ sola incrementum dat, suppleat, & ad suam perfectionem perducat, quatenus hu-

mana natura patitur, post divinam & mixtam. S. Quo pacto id ais? G. Etenim cum hæc sint tria, Deus creator, suprà; homo creatus, infra; & Deus homo, medius, qui utrumque conjungit: triplicem quoque Iurisprudentiam, & tres Iurisconsultos constituere oportet. S. Qui sic verò? G. Nempe unam Iurisprudentiam divinam, in Deo ipso inclusam, non alij quam uni Iurisconsulto Deo cognitam, ad quam omnia quæ intelligentiâ non percipimus referre debemus, & in ea tamquam summo lumine acquiescere. S. Audio G. Deinde alteram Iurisprudentiam humanam homini inditam, qua res externæ humanæ ad imaginem ac similitudinem divinarum diriguntur, ubi umbræ intelligentiam sæpe obscurant, uti in divinis lumen efficit. S. Intelligo. G. Tum tertiam mediam, divinam & humanam, quæ Christi est Dei & hominis, qui à Patre luminum usq; ad imas umbras descendens, & rursum ex infimis ad summa rediens, per omnia quæcunque sunt, supra, infera, & medioxima, pervadit. Estq; solus Christus ipsa vera perfectaque Iurisprudentia, necnon ipse verus perfectusque Iurisconsultus, & item omne id quod inde promanat. S. Quo pacto ipsa Iurisprudentia? G. Nam est verbum Dei & veritas, quod juris est ac legum; & sapientia, quod prudentiæ. S. Iurisconsultus autem? G. Quoniam cùm secundùm substantiam sit Iurisprudentia ipsa; secundum personam utique Iurisconsultum eum esse oportet. S. Ea denique quæ inde promanant? G. Quia cùm Iurisprudentiæ & Iurisconsulti tria propria sint opera, sacris literis prodita, unum infimum exsecutionis legis, quod legis peritorum est: alterum superius, quod legis doctorum; & tertium supremum lationis legis quod legislatorum: omnia tria à Christo præstita fuisse in Evangelio est proditum, vocatque eum nominatim Jacobus legislatorem nostrum. In quo uno omnia quæ hactenus dicta sunt concluduntur.

FINIS.

D 12.